ARISTOTELIS ETHICORVM AD NICOMACHVM LIBRI DECEM, IN gratiam, & vsum Studiosorum breuiter & perspicuè, per Quæstiones, expositi,

PER SAMVELEM HEILANdum, Tubingensis Scholæ Professorem Ethices.



LIPSIAE
EX OFFICINA TYPOGR.
ABRAHAMI LAMBERGI.

Anno M. D. XC.

IACOBI SCHEGKII SCHORNDORFFENSIS PHILOsophi & medici clarissimi, ad æquum lectorem Præfatio.

SOcrates, autore Aristotele, primus & præcipuus fuit, qui Philosophiam moralem seu Ethicam docendo & disputando excoluit: quod ipsum etiam Platonicis Dialogis & Xenophontis manifestum est. Arbitratus est enim ille Philosophus, nihil vtilius aut fructuosius esse, quàm vt suum quisque bonum, quod est virtus & felicitas, procuraret, cognosceret, & adipisceretur: sine quo bono reliqua omnia quæ in mundo essent fortunæ & naturæ bona, non tantùm mala nobis, sed etiam perniciosa existerent. Fuerunt autem omnibus temporibus multæ & variæ dissensiones de fine & summo bono humano, in quibus tamen opinionum diuortijs, Socrati præ cæteris omnibus autoritas veritatis, omnium ferè consensu concessa fuit: vt is præ cæteris verissimè

rectißimeq́, de summo bono disseruisse, visus fuerit. Paulò pòst sequutus illum fuit Aristoteles, qui quæ sparsim de virtutibus & summo bono hominis disseruerat Socrates, methodo quadam Analytica complexus est, omnemq́ scientiam & doctrinam de moribus plenius explicuit, cuius quidem scripta Ethica in præsentia recensere non necessarium esse videtur. Inprimis autem Ethica ad Nicomachum perfectißimè & elaboratißimè sunt perscripta, quæ vt perfectißima sint, & omni eruditione exculta, tamen propter breuitatem orationis, & exquisitionem & subtilitatem argumentorum, obscuriora sunt, quàm vt à rudioribus intelligi queant, vt omnino ijs sit opus interprete quodam eximiè docto, & in scriptis Aristotelis optimè versato. Docendi autem ratio & explicandi modus Aristotelis scripta, non vnus & simplex vsurpatur. Nam quæ subtilius disputantur & accuratius, non nisi ab eruditißimis apprehenduntur, & ab exercitatißimis in Philosophia intelli-

intelliguntur. Quando autem tyrones &
inexercitati, cùm in hac Philosophiæ parte,
tum in reliquis etiam instituuntur, pro-
ponenda sunt illis omnia ad captum ipso-
rum magis accommodata, &, vt pro-
uerbio dicitur: Pinguiore Minerua, do-
cenda sunt rudimenta, nempe vt Græci
loquuntur ἀμαθέστερον καὶ σαφέστερον. *Rudi-*
menta hæc, vulgò appellantur Compen-
dia τῶν διεξοδῶν, *& Græci propria appel-*
latione Synopsin nominant. Sunt autem
quibus multa paucis comprehenduntur,
& obscuriùs proposita, argumentisq́ mul-
tifariam demonstrata, in breuem sum-
mam contrahuntur definitionibus & di-
uisionibus in disciplina cognoscendis.
Quod genus methodi compendiarium,
in Physicis multi hactenus vtiliter nobis
exhibuerunt. Idipsum etiam noster amicus
M. SAMVEL HEILANDVS
in Ethicis docendis præstandum sibi esse
putauit, propter fidelem auditorum suo-
rum institutionem, qua rudibus & tyro-
nibus in Ethicis etiam bene consultum esse

 voluit.

voluit. Contulit autem in breues & perspicuas quæstiones, quæ decem libris Ethicorum fusißimè & copiosißimè ab Aristotele sunt tradita, oratione facili & populari mentem Aristotelis ita declarans, vt nec in verbis, nec rebus ipsis vlla insit obscuritas & intelligendi difficultas: Sequutus ὁριστικὴν μέθοδον seu διδασκαλίαν, quæ ex tribus διδασκαλίαις: à Galeno reliquis præponitur, vt quæ ad intelligẽdam διέξοδον, & ad memoriam comprehendendarum rerum disciplinis maximè facit. Itaq; hoc nomine inprimis commendatam sibi habere velint, candidi lectores, operam huius viri doctißimi, & in Ethica scientia eruditißimi, vt qui multos iam annos eius Professor apud nos fuerit, & singulari fructu & profectu suos instituerit auditores: & à quo vix etiam impetrari potuit, vt huius libelli editionem, auidißimè desideratam & expectatam, Ethicas illas quæstiunculas, tandem in lucem euulgaret: non quòd inuideret alijs quoq; communicare, quæ prodesse

ipsis

ipsis possent, sed quòd ingenuo pudore & verecundia non satis facturum se expectationi multorum putabat. Tandem assidua flagitatione, quodammodò studiosi ipsi extorserunt, vt scripti huius fructu & vtilitate potirentur. Quamobrem iniquus sit oportet & maleuolus, qui, vt vulgò dicitur, Theonino dente, arrodere scriptum illud molitus fuerit, cùm ipse interim meliora præstare nequeat. Vale æquissime lector.

GEORGIVS LIEBLERVS PHILOSOPHICI Collegij Decanus, Samueli Heilando S.

Legi libellum tuum Ethicum: & legi diligenter & cum Aristotele contuli. Dignus mihi omnino videtur, qui publicetur: magnamq́; ex eo ad studiosos huius partis Philosophiæ redituram spero vtilitatem. Nam sententiam Aristotelis perspicuè & breuiter explicas: multisq́; in locis plus præstas, quàm nonnulli Græci & Latini prolixi comentarij: ita vt non tam Epitome Ethicorum Aristotelis hic tuus libellus, quàm breue & dilucidum eorundem commentariolum dici mereatur. Id quod experientur ij, qui & Aristotelem ipsum legere, & eius interpretes adhibere, & tuum libellum adiungere voluerint. Eamq́; ob rem ego numerum capitum, in quæ Aristoteles ab interpretibus distinctus est, in tuo quoq; libello signare volui: quam rem studiosis nec inutilem, nec ingratam futuram spero. Erunt fortasse, qui plus ornatus requirent. Sed hoc genus scriptorum tale est, vt omnem ornatum penitus respuat: contentum sermone Latino & Grammatico: & etiam Cicero eloquentiam à Philosopho non admodum flagitat. Vale.

OPTI-

OPTIMAE SPEI IVVENIBVS.

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC

DOMINI, DOMINI LVDOVICI, Ducis VVirtembergici,&c. Domini ſui clementiſsimi Stipendiarijs, Tubingæ ſacris literis, & Philoſophiæ operam nauantibus, diſcipulis ſuis chariſsimis.

SAMVEL HEILANDVS S.

CVm Ariſtotelis libros Ethicos ad Nicomachum ſcriptos auditoribus meis, ante annos complures, Erotematis quibuſdam explicuiſſem: rogauêre me interim non ſemel moralis Philoſophiæ ſtudioſi: vt cum pleraq; exemplaria, tyronum deſcripta manibus, mendoſa reperiant: ipſos deſcribendi labore ſubleuare, eaq; typis mandare vellem. Quorum quidem preces hactenus ideò neglexi, quòd vidi in illos libros iam dudum extare doctiſsimorum virorum commentaria: quibus vniuerſa, quæ ſtudioſi in illis requirere poſſent, adeò doctè & diſertè ſunt expoſita: vt præ illis rudis hic meus & puerilis labor facilè contemni poſsit. Scripſeram enim tantùm pro iunioribus,

& inprimis propter nostros, tum modò Philosophari incipientes nouitios: quos cum in priuatis examinibus deprehendissem, aut minùs assequutos, quæ publicè docueram, aut ritè quidem percepta, parum aptè referre posse: ipsis hoc modo adumbrare volebam, rudem quandam respondendi formulam: nunquam futurum putans, vt ab alijs quoque præsertim adultioribus, expeterentur. Veruntamen cum audiam nunc, illa paßim in studiosorum versari manibus: iamq; eorum editionem, non illi solùm efflagitent: verùm etiam viri docti hortentur, vt iuuenibus hoc officiolum petentibus gratificer: diutiùs differendum non putaui, quin ea iam antè quasi publica, in lucem emitterem. Idq; maximè vestri gratia, qui priuatim curæ fideiq; meæ commißi estis: propter quos Illustrißimus Clementißimusq; Princeps noster, non nuper solùm, verùm etiam dudum voluit, vt ad maturandum vestrum in studijs profectum, & quò celeriùs poßitis ad sacra studia capessenda procedere: Philosophiæ præcepta quàm breuißimis vobis exponi, vestraq; studia, iuxta Aristotelis explicationem, compendijs quoque adiuuari. Quod quidem in hoc libello tanta fide ac studio præstiti, vt breuius tradere non potuerim: nisi planè obscurus euadere voluissem. Quæ enim ad Aristotelis textum explicandum non summè necessaria duxi, ea vniuersa prætermisi: solùm illa complexus, quæ ad disciplinam Ethicam addiscendam

omitti non potuerunt. Ex quibus etiam difficiliora præsertim argumenta varijs inuoluta probationibus, ad Dialecticas reuocata formulas, legentium oculis planè nuda exposui. Faciliora verò, & sicubi author vnam eandemq́; rem multis argumentis confirmat, breuißimè & paucis tantùm verbis perstrinxi, planè curto incultoq́; sermonis genere vsus. Propositum enim mihi fuit, vniuersa exponere: id tamen eo modo, quo studia vestra nuspiam remorarer, sed potiùs expedita ista docendi ratione, cursum vestrum gnauiter adiuuarē: interim & vos & reliquos omnes, qui has quæstiones legere volent, peramanter rogans, vt inter legendum eas cum Aristotelis textu conferant. Tum enim patebit, quæ obiter legentibus fortè vel ineptè vel otiosè scripta videri possent, singula vsum suum habere: nec quicquam à me sine causa esse positum. Cæterùm vobis honestißimi charißimiq́; iuuenes, libellum hunc ea conditione dedicatum volo: vt siue in hac siue alia Aristotelicæ Philosophiæ parte versabimini: sacra illis studia semper coniungatis, & ad ea reliqua omnia reuocetis, tanquam ad vnicum studiorum vestrorum scopum: certò persuasum habentes, quemadmodum ad sacram Theologiam addiscendam, Aristotelica Philosophia mirificam vtilitatem adfert: ita vicißim hanc ab illa perfici & absolui, & sine ea omnem Philosophiam planè mancam & inanem esse: non solùm Apostolo teste: verùm ipso quoq; Cicerone, qui

licèt

licèt quod DEVS in terris diuinißimum edidit, ignorauerit: Philosophiam tamen non tam humanarum, quàm diuinarum rerum contemplatione, definiendam putauit. Aristoteles verò in ea quoque collocasse videtur summum hominis bonum: Dum supremam felicitatem in sapientiæ studijs: ac diuinarum rerum contemplatione positam, vltimo Ethicorum aliquot Argumentis confirmat. Vt autem in vtroq; studiorum genere diligentes & aßidui sitis: excitare vos inprimis debet clementia & benignitas Illustrißimi, clementißimiq; nostri Principis, cui Collegij nostri Oeconomia, quotannis tot millibus florenorum constat: nec aliam Celsitudo eius pro summa hac beneficentia sibi gratiam referri postulat: quàm vt in istis disciplinis diligentes sitis: ijsq; aliquando probè exculti, in Scholis & Ecclesia eo maiore cum fructu doceatis. Cuius etiã exempla præclara hactenus præbuêre, qui antè vos summo hoc beneficio sunt vsi: qui cùm studijs hisce gnauiter incubuissent, eruditionem inde nequaquam contemnendam consequuti sunt, nunc paßim in Ecclesijs Scholisq; celeberrimis magna cum laude docentes. Cumq; anno superiore è Collegio nostro ad Ecclesiæ Ministerium euocati essent amplius quinquaginta iuuenes, plerique omnes Philosophiæ Magistri, vt etiam metus esset, ne propediem deficerent, quibus Ecclesiarum nostrarum cura commendaretur: ea tamen interim fuit sodalium ve-

strorum in studijs alacritas & diligentia, isq́; per Dei gratiam profectus: vt si maximè nunc totidem ad Ministerium poscerentur: eos satis instructos exhibere, nobis nequaquam difficile foret. Quæ vos iuniores, qui Philosophiæ adhuc operam datis, mouere excitareq́; debent: vt illorum vestigijs gnauiter insistentes, summo caueatis studio, ne vlla in parte sodalibus vestris inferiores reperiamini. Ita enim non solùm Illustrissimo clementissimoq́; Principi nostro vos commendare: verùm etiam in Ecclesijs ac Scholis aliquando pari cum fructu ac laude docere: ac tandem veram illam & supremam felicitatem, à qua tot Philosophi aberrauêre, certò sperare poteritis. Valete. Tubingæ, è Museo meo, Idibus Decembris, Anno Salutis 1578.

ORNA-

ORNATISSIMO VIRO, M. SAMVELI HEILANDO, ETHICÆ in Academia Tubingensi Professori, Stipendijq́ illustris Præfecto, Compatri suo carissimo, S.

Μέχρι τέο κρύπτεις σὴν ἠθῶν, κλεινὲ, σύνοψιν;
ἤδη δηθὰ ποθεῖ φιλομαθῶν ὁ χορός.
Ἀμβάλλῃ, σφετεριζόμενος μέχρις ἄλλος ἂν ἐκδῷ;
Ἀλλὰ θεὸς τίσαιθ᾽ ὅς κε ἀχάριστος ἔῃ.
Ἔκδοθι. σὸς κάματος περὶ Ἀριστοτέλεος ὅδ᾽ εἱρμός.
ἦ μάλα τοῦδ᾽ ὄφελος, παμπολέεσσι μέγα.

Quando venit tandem tua morum docta Synopsis?
Expetit hanc cupidè gens studiosa diu.
Expectas, alius tribuens sibi dum prior edat?
Qui malè gratus, eum puniat ira Dei.
Da. Tuus est hac nexus Aristotelêa catena,
Proderit hac multis: spondeo, crede mihi.

Martinus Crusius, vtriusq; Linguæ Professor.

ER-

ERHARDVS CELLIVS, ACADEMIAE Tubingensis Professor, L. S.

ETHica, quæ morũ formã complectitur, omnes
Aequiparat partes, Philosophia, tuas,
Aut etiam superat, siue excellentia cordi
Vtilitas cordi siue sit ampla tibi.
Manat, & in terras hæc latè effunditur omnes.
Quælibet ipsius commoditate vigent,
Omnis ope ipsius Respublica surgere cœpit.
Hac seruata fuit, hac stabilita fuit.
Sola hæc omnigenis exordia præbuit æquis
Legibus, hac vires obtinuêre suas.
Hæc peperit cunctis ingentia commoda regnis:
Disciplinarum hæc sustinet omne genus.
Est reliquis in eam spectantibus omnibus vnam
Dignior, & reliquis plus ea laudis habet.
Mens etenim reliquis quasi facta paratior, inde
Aptior est studijs Ethica cella tuis.
Ecquid & hæc hominis non est vel summa creati,
Vt ratione animal sit sociale sua.
Vt ratione loquens faxit noua fœdera, firmet
Antiqua; & vitam conuenienter agat.
Vt vitijs pulsis, animum virtutibus ornet
Semper, & ex omni parte beatus agat.
An non moralis docet hæc doctrina Sophiæ?
An non hoc opus est Ethica dîa tuum?
Hæc si vera, velut longè verissima, quanto
Ornandi studio sunt & honore viri?
Ethica voce graui qui pandunt scripta disertè?
Qui simili euulgant Ethica scripta stylo.

Quem

Quem reor? Heilandum, cui vis est inclyta mentis,
Cui pietas ingens, cui bene nota fides.
Cuius inoffenso procedit tramite vita,
Qui grauis, humanus, vir bonus, atque pius.
Cui doctrina fluit ductu producta perenni
Omnibus ex riuis, Philosophia, tuis.
Hic aliquot quanto docuit modò lustra paratu
Ethica? qua officio functus hic arte suo?
Qua, quod Aristoteles docta breuitate locutus,
Ingenij explicuit dexteritate sui?
Ille Tubingææ ne tantùm commoda pubi
Ferret, in hac viua voce docendo Schola:
Verùm alijs etiam passim foret vtilis oris,
Insignem hunc magna fecit ab arte librum.
Ecce preces tandē hanc & plurima vota Synopsin
Extorsêre, bonis vota peracta viris,
Hactenus vt cupidè magno quæ scripta labore,
Nunc maiore typi commoditate legas.
Ethica quàm doctè liber hic quàm tradit apertè,
Aptè, perspicuè, quàm tibi cuncta benè?
Ergo virum obserua, colito, venerator, honora,
Omnibus afficito laudibus ergò virum.
Et sis grata Deo, pubes studiosa datori.
Omniaque Heilando fausta precare tuo.

ARGV-

ARGVMENTVM, ET METHODVS LIBRORVM ARIstotelis ad Nicomachum.

ARISTOTELES IN Libris ad Nicomachum, de moribus disserit, hoc est, de vita ad virtutem componenda: idq́ pulcherrima methodo, qua subinde à præ-
sentibus occasione sumta, legentem in sequenti- I.
um cognitionem perducit. Prioribus enim tribus capitibus, prolegomena quædam tradit, quibus discentem ad futuras disputationes præparat: potissimùm verò docet, quis moralis scientiæ finis sit, ni-
mirum ipsa hominis beatitudo. Hanc verò mox II.
sequentibus capitibus explicat, eiusq́ causas ordine recenset, inter cætera probans, eam in solo vir-
tutis studio collocandam esse. Itaq́ de virtutibus III.
deinceps prolixam disputationem instituit, quæ maximam quoq́ huius operis partem consumit, initio sumto à libri primi vltimo capite. Nam quatuor sequentibus libris de morum virtutibus disserit: Sexto de ijs, quæ mentis sunt, ac διανοητικαὶ *dici solent: septimo verò de imperfectis illis, continentia nimirum, & quæ tolerantia dicitur.*

IV. tur. Non solùm autem de virtutibus disputat, verùm de cæteris quoque rebus, ad eas colendas pertinentibus, amicitia nimirum, & voluptate: quarum illam quidem octauo & nono libro hanc verò
V. decimo, exponit, quinq; primis capitibus. Atque ita vniuersis virtutibus ordine expositis, tandem earum delectum habet, & ostendit optimam ex illis sapientiam esse, & supremam hominis beatitudinem in sapientiæ studijs, & rerum diuinarum cognitione & contemplatione collocandam. Cùm
VI. autem hisce libris hoc solum agat, vt morum virtutes doceat, quibus etiam sua quadam felicitas proposita est, vltimo capite docet, quomodo morum præcepta hactenus tradita ad vsum reuocari, & moralis virtus à nobis peti, & ita ciuilis quoque beatitudo comparari possit.

LIBER PRIMVS ETHICORVM,
breuibus & perſpicuis Quæſtionibus expoſitus.

Quid eſt Philoſophia?

EST doctrina, ex qua vniuerſa diſcimus, quæ Deus in toto Mundo nobis, vel contemplanda, vel ad vitam benè tuendam agenda propoſuit.

Quot partes habet Philoſophia?

Vulgò in duas diuiditur: quarum alteram Græci πρακτικὴν ſeu ἠθικὴν, alteram verò θεωρητικὴν vocant. Et hæc quidem nobis rerum cognitionem aperit, & ſuam cuiq; cauſam aſsignare docet. Illa verò oſtendit, qua ratione mores ad virtutem componendi, ac in rebus gerẽdis ipſum bonum ſit apprehendendum.

Quotuplex eſt Philoſophia Practica?

Ea tres partes habet. Prima communi nomine ἠθικὴ dicitur, quæ practicæ Philoſophiæ fundamenta iacit, & inde oſtendit, qualis debeat eſſe vir bonus. Secunda οἰκονομικὴ, quæ docet

adminiſtrare rem domeſticam, & fungi bonis oeconomi officio. Tertia πολιτικὴ, quæ boni principis munus, Reiq́ uepublicæ conſtituendæ, ac tuendæ rationem exponit.

Quid eſt Philoſophia. ἠθικὴ?

Eſt diſciplina morum, generalem quandam omnibus, & ſingulis, benè beateq́ viuendi rationem præſcribens.

Circa quid verſatur hæc ſcientia?

Circa mores hominum: vnde & nomen habet: ἦθος enim, ingenium hominis, indolem & mores ſignificat. Mores autem inſtituit ad virtutem, ex qua ſola quod bonum eſt agendo conſequimur.

Quid vocas Bonum?

Veteres bonum eſſe dixêre, quod omnia appetunt: idq́ nō ineptè. Omnes enim artes, omnesq́ diſciplinæ, actiones item & conatus vniuerſi mortalium, ſemper ad aliquod bonum tendunt. Cùm autem hinc pateat, boni cauſa cuncta fieri: cuius verò cauſa aliquid ſit, id finis eius dicatur: rectè hinc colligi puto, bonum nil aliud eſſe, quàm cuiuslibet rei finem.

Cùm

Cùm autem quælibet scientia, ars, & actio, proprium finem habeat, & propterea multi fines sint: num eorum delectus aliquis est?

Maximè. Quemadmodum enim artium aliæ propter alias expetuntur: vt ars frænorum propter Equestrem: hæc propter Militarem: & hæc ipsa demum propter Imperatoriam: inter quas ea semper, propter quam aliæ expetuntur, superior est, & exoptatior: ita quoque ipsarum fines, alij subinde propter alios expeti solent: & propterea alij alijs superiores sunt, ideoq; meliores & exoptatiores.

Cap. II.

Num perpetuò finis alius propter alium exoptatur, an verò tandem aliquis occurrit, qui non propter alium, sed per se sit exoptabilis?

Certè nisi talis aliquis esset, in quo appetitus noster, tanquam in summo bono, conquiesceret: fieret, vt aliud ex alio petendo progrederetur in infinitum: & ita tandem irritus, & inanis euaderet.

Iste verò cuius scientiæ finis est?

Cùm finis hic supremus sit, summumq; hominis bonum: oportet, vt eius sciétiæ

sit, quæ præstantissima est, & cæteris dominatur. Talis autem videtur esse ipsa πολιτική. Nam cæteris artibus & scientijs præest: statuens, & præscribens, quas in ciuitate esse, & quas quenque discere, & quousque eas exercere, oporteat. Præterea, vtitur honoratissimarum scientiarum (quæ quidem in rebus gerendis versantur) opera: Imperatoriæ, Oeconomicæ & Oratoriæ. Necesse igitur est, eius fine reliquarum artium fines contineri, eumque summum bonum esse.

Cap. III. *Cùm ergo Politica scientiæ fundamenta ex Ethica discenda sint: cupio, eam priùs mihi tradi, & primùm explicari, qualibus illa demonstrationibus doceri possit?*

Quandoquidem in explicandis disciplinis, docendi Methodus propositæ materiæ accommodanda est: videtur scientia hæc non exquisitis tradenda demonstrationibus: sed docenda modo plano, & populari. Habet enim materiā non necessariā sed contingentē, & pro circūstantijs mutabilem. Qualia sunt, non tantùm externa bona, circa quæ agendo versamur: verùm etiam interna, vt quæ honesta & iusta vocamus: secundum

quæ

quæ mores informandi ſunt. Illa enim tam varia ſunt, tamq́ incerta: vt videantur conſuetudine ſolùm, nõ natura conſtare. Itaq; ſi probabiliter tantùm explicabuntur: idoneus, & eruditus auditor, ad hanc ſcientiam diſcendam, maius acumen non deſiderabit.

An non quiuis huius ſcientiæ idoneus auditor eſt?

Ariſtoteles quidem iuuenem excludit: tum quòd putet ipſum rerum ciuilium, de quibus hîc diſputatur, & vnde demonſtrationum ſumuntur principia, rudiorem eſſe: tum etiam quòd ad virtutem, quæ hîc docetur, conſequendam, videatur ineptior propter animi perturbationes, & affectus, quibus ipſe indulget. Vbi tamen manifeſtum eſt, ipſum iuuenes definire, non annis & ætate, ſed ingenio & moribus: quales eſſe poſſunt complures adulti: cùm contrà multi reperiãtur honeſti iuuenes: qui præceptorum monitis adiuti, & de ciuilibus rebus iudicare aliquid poſſunt: & affectus ſuos ratione, & conſilio moderari.

Qua methodo in hac arte vtendum eſt? Num à principijs faciendum initium, an ad illa progrediendum? Cap. IIII.

 Quem-

Quemadmodum omnes disciplinæ, initium faciunt à notioribus: ex quibus postea, quæ ignota adhuc sunt, tradere ac docere solent: ita & in hac scientia, incipiendum ab ijs puto, quæ notiora sunt: & ea quidem nobis notiora: qualia sunt in Rebuspub. bene constitutis legitima, vsu recepta, approbata publicè. Itaque huius disciplinæ studiosum bene educatum esse oportet, ac in ciuilibus quodammodo versatum: si cum fructu eius præcepta audire velit.

Ab his verò incipere non possumus, cùm opiniones de summo bono, inter se discrepent: nec sciam, quæ potissimùm sequenda sit?

Opportunè mones. Etsi enim de summi boni appellatione plæriq; consentiunt: cùm & docti, & literarum rudes, ipsum ἐυδαιμονίαν, id est, felicitatem vocent. εὖ ζῆν autem, & εὖ πράττειν, id est, bene viuere, & bene agere, idem quod beatum esse putent: in eo tamen describendo, ac definiendo, multùm inter se discrepant. Vt enim alias opiniones taceam: Vulgus id aliàs corporis voluptatem esse putat: aliâs opes & diuitias. Ciuilium verè alij id honoribus definiunt.

definiunt: alij virtute. Platonici autem collocant in quodam per se bono, quod bonorum Ideam vocant. Quarum opinionum cum nullam nobis sequendam putem: eas ante omnia breuissimis refutabo.

Cur ergo putas, felicitatem non in corporis voluptate ponendam? Cap. V.

Quia felicitas viros longè optimos efficit: qui autem corporis voluptates admirantur, euadunt seipsis deteriores, mancipijsq; persimiles.

Et felicitas quidem proprium hominis bonum est: voluptas verò corporis, ipsi communis est cum brutis: quaris, illa vberiùs fruuntur, & frequentiùs. Itaq; pecuinum potiùs, quàm humanum bonum dicenda est.

Cur non in honoribus?

Quia felicitas est bonum in nostra potestate positum, nec facilè eripitur: honor autem est in potestate honorantis: qui, quem obtulerat honorem, pro libitu rursùm potest detrahere.

Cùmq; felicitas per se semper exoptetur: honor non per se, sed ob aliud expetitur. Gaudent enim honorari viri ciuiles, vt inde confirment conscientiā

propriæ virtutis: & sibi fidere ausint, se viros bonos esse. Et propterea opinione illorum, virtus potiùs summum bonum dici posset.

Cur ergo non virtute summum bonum definis?

Quia fieri potest, vt virtutem habens, viuat per omnem vitam ociosus: nec quicquam præclarè gerat: aut etiam maximis prematur infortunijs. Ignauum autem terenti ocium, aut infortunato felicitatem nemo tribuit: nisi velit singulare quoddam παράδοξον defendere.

Cur non opibus & diuitijs?

Quia vita opibus cumulandis dedita, vita plerunque violenta est. Parantur enim opes vt plurimùm vi & iniurijs aliorum. Quod autem violentum est, id beatum vocare absurdum videtur.

Cumque beatitudo per se semper expetatur, nec vnquam ob aliud: videmus, pecuniam, & opes ob aliud expeti: nimirum, vel ad vitæ vsus necessarios, vel ad voluptates perfruendas, vel etiam ob virtutem exercendam.

Cap. VI. *Quid est idea, & qui sunt, qui in ipsa summum bonum posuêre?*

Opinionis

Opinionis huius autores fuêre Socrates, & Plato. Vocârunt autem Ideas, formas quasdam separatas, simplices, æternas, & diuinas: ex quibus, & quarum participatione, cuncta hæc inferiora, & sunt, & intelligi posſint.

Num ergo non rectè summum bonum in Idea posuerunt?

Si rerum Ideas in ipso DEO posuerunt, & summum bonum DEVM ipsum esse putauerunt, erroris accusari non possunt. Est enim DEVS fons & author bonorum omnium: & in ipsum, tanquã in summum bonum, cuncta ab eo creata contendunt. Sin autem, (quod magis credimus) per Ideas intellexëre communes quasdam in diuiduorum formas, seu naturas extrà Deum, ad quarum imaginem ipse hæc visibilia creauerit: facilè probari poteſt, bonorum omnium communem Ideam, nec dari posse: nec si daretur, eam summi boni loco habendam esse.

Cur bonorum Idea communis dari non poteſt?

Quia in bonis eſt prius & poſterius. Bonum enim & in ſubſtantia dicitur, & in qualitate, & in relatione: vbi ſubſtan-

tia

tia accidentibus, & quod per se est, eo quod ad aliud refertur, semper prius est. Dicunt autem Platonici, in quibus prius & posterius sit, eorum vnam ideam dari non posse.

Et si bonis omnibus vna tantùm idea esset: certè etiam in vno tantùm prædicamento contineretur. Videmus autem bona in omnibus prædicamentis reperiri: vt in substantia DEVM, & mentem, in qualitate virtutem, in quantitate mediocre: idemq; in cæteris.

Siq; vnam ideam haberent, vna quoq; scientia explicari possent. Siquidem vna etiam definitione contenta forent. Bonorum verò complures reperiuntur scientiæ, & eorum quidem, quæ in vno prædicamento reperiuntur. Occasionis enim in bello quidem scientia militaris est, in morbo medicina, in agris colendis agricultura.

Tum idea, quam illi τὸ αὐτοέκασον vocant, nil aliud est, quàm cuiuslibet rei esse & ratio, quæ definitione exprimitur. At quodlibet bonum proprium esse propriamq; definitionem obtinet. Eaq; de causa propriam quoque ideam illi afsignare oportet.

Videris mihi minùs candidè illorum sententiam explicare. Non enim omnium, sed tantùm per se bonorum, communem Ideam esse dixerunt?

Quæ autem, obsecro, per se bona dicent? Num videre, sapere, honores, & voluptates aliquas? Si enim hæc per se bona esse negabunt: certè alia per se bona dare non poterunt: & ita nec illorum Ideæ locus erit. Sin autem ea per se bona esse fatebuntur: tum vt communem illis ideam astruant, communem etiam ipsis boni rationem ac definitionem assignare cogentur, quòd tamen ipsi præstare nunquam poterunt.

Non ignoro, à te dissentire quosdam viros doctos. Itaque hoc solum nunc dicas: cur, si talis Idea dari posset: in ea non putes summum bonum esse collocandum?

Causa est, quòd in hac Philosophia tale quærimus bonum: quod hominis industria comparari possit: aut cuius cognitio ad vitam bene tuendam prosit. Sed Idea ista Platonica, nec comparari à nobis potest, cùm separatum bonum sit: nec etiam contemplatio eius nobis ad felicitatem conducit. Si enim conduceret,

duceret, eius etiam ars aliqua, aut disciplina inuenta esset, ex qua illam addisceremus. Et si verò artes complures iuuentæ sunt, ad vitam tuendam facientes: huius tamen scientiam hactenus ab omnibus neglectam esse cernimus.

Cap. VII.

Felicitas ergo, quale tibi bonum videtur?

Puto id esse bonum perfectissimum: tum quia supremus hominis finis est: qui per se semper expetitur, nec vnquam ob aliud: cætera verò cuncta, propter ipsum exoptamus: tum etiam, quia ἄυταρκες, id est, seipso contentum bonum est: cùm per se solum vitam exoptabilem, nec re vlla indigentem efficiat. Et si enim cæteris bonis coniunctum, fit exoptatius, cùm fiat bonorum quædam ὑπεροχή: attamen etiam sine illis semper est nobis exoptatissimum.

Cum verò nec in honore, nec in voluptate, nec in ipsa quidem virtute, sit posita: in quo tandem rerum genere ipsam collocabis:

Arbitror ipsam in functione seu opere hominis rectissimè poni. Quælibet enim res, cui opus aliquod est, perfectionem bonumque suum habet in opere suo

positum.

positum. Homini verò proprium aliquod opus esse, manifestum est. Si enim faber & sutor, & quiuis artifex, proprium aliquod munus habet: homo certè, quatenus homo est, illo non destituetur. Et si quodlibet eius membrum propriã functionem habet: verisimile est, eam quoq; hominis partem, qua homo dicitur, propriam functionem, propriumq; munus obtinere.

Quòdnam est illud proprium opus hominis?

Est functio eius facultatis, quæ vulgò rationalis dicitur. Nec enim vel sentientis, vel vegetantis esse potest: cùm illa nobis communis sit cum brutis: hæc verò etiam cum plantis & stirpibus. Cùm autem rationalis facultas dupliciter accipiatur: aliâs quidem vt rationem habens: aliâs verò, vt illi obtemperans: quarum illa mens: hæc verò appetitus dicitur: fit, vt etiã propria hominis functio duplex sit: quarum altera contemplatio: altera verò actio nominatur.

Num in quauis contemplatione aut actione hominis felicitatem collocas?

Non. Vt enim aliud est cithara canere: & aliud benè canere: ita quoq; hominis

minis opus, aliud qualitercunque fit: aliud verò benè fit. Estq; inter ea ingens discrimen, cùm illud cuiuslibet hominis sit: hoc verò non nisi viri boni, & virtute præditi. Vt enim quælibet res sua virtute perficitur: ita & hominis functio. Ea ergo sola functione definitur felicitas, quæ cum virtute coniuncta est.

Dic ergo tandem, quid est Felicitas?

Est animi functio, secundum virtutem optimam & perfectissimam: idq; in vita perfecta. Dico autē in vita perfecta: quia vt vna hirundo non facit ver, nec vna dies: ita hominem beatum efficit, nec vna actio, nec breue tempus: sed oportet, vt per omnem vitam, perpetuo quodam tenore, virtutem colat.

Cap. VIII. *Talem verò summi boni definitionem apud veteres non lego?*

Si veterum opiniones excutias, videbis eas ab illa non dissentire. Vetus enim opinio est, tria esse bonorum genera, animi, corporis, & fortunæ, & ex illis animi bona præstantissima esse. Ex illa verò non obscurè colligitur, quòd summum bonum, seu felicitatem collocarint in animo.

Præterea

Præterea communiter statuunt finem hominis, functiones, & actiones quasdã esse: qua iam clarè testantur, felicitatem animi functione definiendam.

Tum vulgatissimum est, virum felicem εὖ ζῆν & εὖ πράττειν, i.e. bene viuere, & bene agere, vbi etiam virtus subintelligitur: cùm sine ea, nec benè viuere possit homo, nec bene agere.

Iam verò, quæ veteres, etiam inter se dissentientes, ad felicitatem requirunt: ea vniuersa definitione hac comprehensa sunt. Alij enim eam virtute definiunt, alij prudentia, alij sapientia: & hisce, vel horum alicui, alij voluptatem coniungunt: alij externa bona. Quę tamen vniuersa hac definitione contineri puto.

Cur autem in virtutis vsu, seu functione potius, quàm ipsa virtute, felicitatem collocas?

Quia fieri potest, vt virtutem habens, nil boni agat: vt, qui somno, morbo, vinculis, alijsq; causis impeditus, viuit ociosus. Quemadmodum autem in Olympicis ludis coronabantur, non fortissimi: sed qui fortissimè pugnabant, & vincebant: ita res bonas & pręclaras

claras consequuntur, non qui optimi sunt, ac summis præditi virtutibus: sed qui summas, optimasq; virtutes exercere solent.

Atqui prius negabas, in voluptate felicitatem collocandam esse?

Ibi sermo erat de voluptate corporis. Animi enim voluptatem, quæ vera voluptas est, adeò non excludo: vt statuam eam ipsi per se inesse, nec aliundè accersendam. Tribuimus enim felicitatem ijs tantùm, qui virtuti student: cui verò quis studet, quodq; amat, id illi iucundum est.

Virtus præterea & actiones honestę, sua natura delectant. Cùm enim quæ vulgò iucunda videntur, interdum molesta sint: hæc oblectant perpetuò.

Et huic etiam consentit nostra definitio, qua felices dicuntur, tantùm viri boni: qui enim honestis studijs ac virtute non delectantur: eos nemo bonos dixerit.

Taceo nunc, quòd felicitas, ex modò dictis causis, optimum est pulcherrimumq; bonum. Quæ autem huius generis sunt, voluptatem in seipsis habent: nec illa vt appendice quadam indigent.

Sed

Sed externorum bonorum in definitione tua tua nulla est facta mentio?

Attamen ex ipsa definitione patet, illa ad felicitatem requiri. Ponimus enim eam in functione secundum virtutem: hoc est in honestis actionibus: vt autem honesta agas: bonis externis est opus. Sunt enim ex illis quædam rerum gerendarum adiumenta: vt amici, opes, ciuilis potentia. Quædam verò, si maximè nil iuuant, dempta tamen, felicitatis splendorem obscurant: vt generis nobilitas, soboles prospera, forma corporis. Itaq; licèt de felicitatis essentia non sint: attamen vt eius, vel instrumenta, vel ornamenta, adiungenda sunt.

Hoc ergo bonum, Deine donum est: an nostra paratur industria, an verò fortuitò nobis obtingit? Cap. IX.

Si felicitatem Deo acceptam ferendam putas, tanquam causæ primæ: verè, ac piè sentis. Qui enim cætera largitur bona: multò magis dabit id, quod est optimum.

Cùm autem sua largiatur, non immediatè (vt vocant) sed per causas secundas: circa quas nostra versatur Philo-

sophia: puto, aliam huic secundam causam assignari non posse: quàm hominis industriam, vel ob hoc ipsum, quòd diuinum bonum est. Quæ enim nostra parantur industria: diuina videntur: tum, quia nostræ virtutis præmia sunt: tum, quia communicantur cunctis ad colendam virtutem non ineptis.

Et huic astipulatur etiam eius descriptio priùs posita, qua dicta est animi functio, secundum virtutem: deinceps enim planum fiet, virtutem nostra industria comparari.

Tum ab initio dictum est: Felicitatem esse finem, seu opus ciuilis scientiæ: videmus autem, bonos principes, vt ciues suos felices faciant, maximam adhibere diligentiam, vt viri boni fiant, & ad res præclarè gerendas idonei.

Iam verò, qui tantum, tamq; excellens bonum fortunæ ascribunt: planè inepti sunt. Manifestum enim est, fortunam causarum omnium ignobilissimā esse: rem verò præstantissimam, ignobilissimæ causæ tribuere, absurdum est.

Num vniuersa animalia huius boni sunt capacia?

Quandoquidem consistit in actionibus virtuti consentaneis: videntur id bruta consequi non posse: quia propter rationis defectum, secundum virtutem agere nequeunt.

Eademq́; de causa, nec pueri eius capaces sunt: licèt propter spem, quam de se præbent, aliquando beati vocentur. Opus enim est ad bonum hoc, non solùm virtute perfecta: verùm etiam, qua illi adhuc carent, perfecta vita. Sunt enim in vita casus varij: quibus etiam hodie fortunatissimus, in senio tandem poterit in calamitates incidere.

Fortaßis ergo satius esset, in hac vita neminem beatum dicere: sed secundum Solonem, extremum vitæ finem expectare? Cap. X.

Quæ Solonis sententia fuerit: non satis assequor. Si enim putauit, hominem post mortem modò ciuiliter beatum esse: tueri sententiam suam non potuit: cùm priùs modò probauerimus, felices esse, qui virtutem exercent: in morte verò ciuilis virtus exerceri non possit.

Si autem sensit, post mortem modò dici posse: quòd in vita beatus fuerit: quia tum extra malorum pericula sit

constitutus: refutari nullo negocio poterit. Vt enim viuentibus, quamuis nescientibus sæpe, & bona & mala accidunt: ita & mortuis multa adhuc accidere possunt, tam aduersa, quàm prospera; veluti honor & ignominia: liberorum item & omnino posterorum, res prosperæ & aduersæ: quæ certè ad illos pertinent.

Præterea absurdum videtur, quòd eum in vita felicem negabat, quem tamen post obitum felicem fuisse fatebatur, seipsum quasi erroris arguens.

Multò verò absurdior huius erroris causa est. Verebatur enim viuum felicem dicere, propter aduersorum casuum pericula quibus hominis vita sit obnoxia. Atqui si fortunæ casus possent felices, aut miseros facere: oporteret benè & malè viuendi rationem in illis esse positam. Patet autem ex suprà dictis, eam consistere tantùm in virtutum exercitio: Fortunæ verò bona, tantùm vt instrumenta quædam requiri, quibus virtutes ritè exerceas.

Num ergò hominem in hac vita felicem dicendum putas?

Certè secundum definitionem felicita-

citatis, suprà probatam, qui vitam suam transigit, virtutem vel exercendo, vel meditando: is verè felix est. Vir bonus autem id per omnem vitam facit. Virtutes enim adeò altas in eius animo radices egerunt, vt ipsis quoq; scientijs diuturniores sint, & firmiores, propter perpetuum ipsarum studium. Atq; hanc ob causam fortunæ casus omnes laudabiliter, ac decenter feret: vt viri boni nomen perpetuò tueatur.

Num autem fortunæ casus, vitam felicis mutare nequeunt?

Etsi conditionem eius ex parte mutant: miserum tamē non faciunt. Omnes enim illi, aut magni, aut leues sunt: & vtriq;, aut prosperi, aut aduersi. Et leues quidem, siue prosperi, siue aduersi sint, in neutram partem momentum afferāt. Magni autem, si prosperi sunt, possunt eum reddere beatiorem: cùm ipsi & ornamento, & ad virtutem adiumento sint. Aduersi verò si grauiùs premant: lædere quidem possunt: (Nam & dolorē illi afferunt, & in virtute colenda impediunt:) eius tamen animum nunquā ita percellūt, vt vel improba, vel odio digna suscipiat. Omnes enim casus decenter,

& honestè fert: imò & in aduersis virtutem colit. Et quemadmodum bonus sutor, ex quibuslibet pellibus calceum quàm pulcherrimum conficit: ita ex ijs, quæ quouis tempore suppetunt, ipse semper res pulcherrimas gerit: vt si maximè non possit perfectè beatus dici, attamen nec miser aut infelix verè appelletur.

Cùm tamen in magna calamitate cesset ex parte felicitas: fateri oportebit, eam aut mutabilem, aut certè secundum Solonem, in hac vita nullam esse?

Hîc meminisse te velim, nos loqui de felicitate, quæ cadit in hominem: quã etiam humano modo stabilem dicimus: vt si maximè graui quodam infortunio minuatur, firma nihilominus dici possit. Immutabile enim in rebus humanis dicitur, non quod omnino nulli mutationi est obnoxium: sed quod difficulter mutatur. Felicitas autem, si eius naturam rectè consideres, non ita facilè mutari potest. Labefactat enim eam, non quæuis calamitas: sed eæ tantùm, quæ multæ sunt, quæ magnæ & atroces: ex quibus, qui semel felicitatem perfectam amiserit: non nisi longo tempo-

ris

ris interuallo; cùm magna quædam, & præclara consecutus fuerit, eam recipiet. Itaq; si dixerimus, beatum esse, qui externis bonis mediocriter instructus, secundum virtutem viuit, ac ita victurus est: spero nos & in hac vita felicem hominem appellare, & absurdum illud mutabilis boni, quod Solon adeò horrebat, euitare posse.

Cùm autem antea dixeris, posterorum casus etiam ad mortuos pertinere: scire cupio, num etiam ijs lædi poßint? Cap. XI.

Quòd ad ipsos pertineant, negari non potest. Esset enim, hoc non solùm à sensu communi: verùm ab omni planè humanitate alienum: puto tamen eos inde, nec miseros effici, nec lædi posse. Nam quæcunque posteris accidunt: aut per se leuia sunt, & nullum momentum habentia: aut sanè ipsis mortuis leuia. Quod enim viuenti calamitosum est: id in mortuo vix dici potest calamitatis vmbra. Aut, si mortuis quædam magna sunt: certum tamen est, quòd illis ipsi non communicent. Itaq; licèt tales posterorum casus ad mortuos felices pertineant: eos tamen nec miseros facere, nec lædere possunt.

Cap. XII. *Felicitas, in laudabiliúmne an honorandorum bonorum numero habenda est?*

In laudabilibus bonis haberi non potest: quia videtur bonum optimum: laus verò optimis non competit. Quæ enim laudãtur, ea referuntur ad aliquid: id est, docentur ad aliquid prodesse, quod sit ipsis melius. Optima verò, ad aliud se melius, referri, id est, melioribus comparandis inseruire nequeunt. Atq; hinc est, quòd Deos hominesq; diuinos, non laudamus. Et Eudoxus hoc ipso probare voluit: voluptatem summum bonum esse: siquidem cùm bonum sit, non laudetur. Videtur autem esse potiùs bonum honorandum, & tanquam diuinum quiddam suspiciendum. Est enim principium & causa bonorum omnium: imò omnium nostrorum operum, & principium, & finis. Quod autem tale est: id meritò diuinum & honorabile appellamus.

Cap. XIII. *Cum felicitas definiatur animi virtutibus: dic mihi, quas partes seu facultates, habet hominis animus?*

Animus hominis duas partes habet: quarum altera λογικὴ, id est, ratione præ-

prædita: altera verò ἄλογος, & rationis expers dicitur. Et λογικὴ quidem ea facultas est: qua tum res per causas suas cognoscimus: tum de rebus vel agendis, vel faciendis, deliberamus. Quæ autem ἄλογος dicitur, eius altera parte homo nutritur, augetur, & sibi simile procreat, quam φυτικὴν nominant: cuius quidem virtus non est hominis propria. Fungitur enim suo munere maximè in somno: vbi hominis mens, & virtus planè conticet, & bonus ab improbo non internoscitur. Altera verò parte res vel mente vel sensu perceptas, aut prosequimur, aut fugimus: quæ Græcè vocatur ὀρεκτικὴ: quæ, quia rationis quodammodo particeps sit: virtus eius, propria hominis est, & ad felicitatem pertinet, hisq; libris nobis explicanda est.

Mirum videtur, τὸ ὀρεκτικὸν, rationis expertem esse: & tamen eius compotem posse fieri?

Quòd à ratione diuersa sit, negarì non potest: cum ratione enim sæpissimè pugnat: quemadmodum continentibus accidit & incontinentibus. In illis enim, cùm recta ratio sit, & hor-

tetur

tetur semper ad optima : appetitus tamen illi reluctatur : & instar paralytici membri, perpetuò in contrarium fertur.

Quòd autem rationis particeps fieri posſit : manifeſtum eſt in continentibus, & magis in temperantibus. In his enim appetitus rationi conſentit.

Præterea id etiam patet ex admonitionibus, obiurgationibus, & exhortationibus : quibus languentem appetitum multis rationibus excitamus : ijs enim moueri, & flecti ſe non pateretur, niſi eas perciperet.

Videtur autem rationis dictamen percipere, non vt Mathematicus concluſiones ſuas intelligit : ſed quemadmodum diſcipulus Præceptoris ſui, aut filius Parentis mentem tenet. Quid enim ſibi velit, percipit : cur autem & quo conſilio id præcipiat, aſſequi non poteſt.

Animi ergo virtutes, quotuplices ſunt?

Quædam mentis virtutes ſunt, & vulgò vocantur διανοητικαί : vt ſapientia, prudentia, intelligentia. Quædam verò ad appetitum referuntur, & voluntatem : at liberalitas, temperantia, fortitudo :

tudo: quas ἠθικὰς, id est, morales appellemus: siquidem de moribus alicuius rogati, eas referre solemus.

Liber secundus.

Virtus naturáne inest, an doctrina aliqua, an potius consuetudine comparari potest? Cap. I.

VIrtutes quidem, quas διανοητικὰς appellauimus, magna ex parte ortum, incrementumque suum habent à doctrina. ἠθικαὶ verò, quas morales vocamus, vsu parantur, & assuefactione: vnde & nomen habent. Dicuntur enim ἠθικαὶ, quasi ἐθικαί: quòd δὴ ἔθους, id est, à more, & consuetudine profecta sint.

Num ergo morum virtutes naturâ non insunt?

Certè quæ natura nobis insunt, consuetudine mutari nequeunt: morum autem habitus consuetudine mutantur, tam ad bonum quàm ad malum.

Et, quæ natura insunt, eorum facultates prius habemus, quàm functiones aliquas edimus. Prius enim accipimus

mus ambulandi facultatem, quàm ambulamus. Circa virtutem verò, prius edimus actiones, ac postquam diu egerimus, virtutem modò accipimus.

Quod autem consuetudine potius comparetur: testantur Legumlatores, qui ciues suos nulla alia re, quàm consuetudine, conantur bonos, ac iustos efficere.

Num verò ad virtutem natura nil confert?

Etsi virtutis habitum non largitur: attamen habilitatem quandam tribuit, ad eum accipiendum. Eius enim quædam principia suggerit ac δυνάμεις; quas consuetudo deinde perficit, & absoluit.

Num ergo circa mores me gnauiter exercendo, virtutem consequar?

Si quidem id rectè feceris. Quemadmodum enim in artibus addiscendis, & boni, & mali fiunt artifices: pro vt quisque se in ijs exercuerit: ita quoque in virtutis studio. Ex eadem .n. militia, alij fortes euadunt, alij timidi: & ex ijsdem contractibus, alij iusti, alij iniusti fiunt. Qui enim honesta, & iusta agit: virtuti assuescit: qui autem mala agit, crebriùs: cauere nō potest, quin vitiū contrahat.

Quomodo autem actiones instituendæ sunt: vt per eas virtutem accipiam? Cap. II.

Primum hoc, & generale præceptum esto: vt instituantur secundum rectam rationem. Hæc enim sola est, per quam homo se digna gerit: & rebus à se gestis, virtutis laudem consequitur.

Quid præcipit recta ratio?

Iubet actiones nostras esse moderatas: hoc est, quæ nec excessu laborent, nec defectu: sed medium teneāt. Quemadmodum enim exercitationes, vel grauiores, vel remissiores, corporis vires debilitant: ita vt virtutis studio, quod vel plus in actionibus, vel minus est, virtutem hebetat, & corrumpit. Qui enim pertimescit omnia, nec vllum subit periculum, timidus efficitur. Qui verò nullo planè terretur, audax euadit. Mediocritas verò est, quæ fortes, & in genere honestas, & iustas actiones efficit: ex quibus virtus gigni, confirmari, & augeri potest.

Quoties honesta, aut iusta agenda sunt, vt virtutē consequar? aut vnde coniiciam, me virtutem iam consecutum esse? Cap. III.

Certus actionum numerus præscribi non potest. Virtutis autem per eas acqui-

quisitæ coniecturam capies ex voluptate, & dolore, quæ ipsas comitantur. Qui enim eius habitum nondum adeptus est, honestis, & iustis actionibus adhuc discruciatur, & dolet. Qui verò virtutem iam est consecutus: eas non modò sine molestia: verùm etiam maxima cum delectatione exercet. Virtutis enim proprium munus est, vt animum nostrum, ritè & dolere & gaudere faciat.

Putásne, virtutem circa voluptates & dolores occupari?

Quòd circa illa versetur, multis probari potest. Etenim quod homines corrumpit, ac improbos efficit: in eo videtur præcipuè requiri virtutis opera: voluptate autem, & dolore, hominem corrumpi ac improbum fieri manifestum est. Nam propter voluptatem, improba agimus: propter dolorem, ab honestis abstinemus.

Certum est etiam, virtutem versari circa actiones, & affectus hominum. Sunt autem actionum affectuumq; nostrorum, voluntas & dolor, indiuidui comites.

Virtus porrò videtur occupari circa vitiorum medelas. Vitijs autem mederi solemus

ſolemus voluptate & dolore: quemadmodum Legumlatores faciunt, præmijs ac pœnis propoſitis.

Cumq́ omnis habitus ex eo, vel melior fiat, vel deterior, circa quod ipſe occupatur: patet voluptate, ac dolore virtutem & corrumpi & adaugeri.

Adde nunc, quòd, cùm virtus & vitium verſentur circa res expetendas & fugiendas, voluptas & dolor in ijs principem locum tenent: ſuntq́ omnibus expetendis & fugiendis communes.

Deniq́, planum eſt, virtutem verſari circa actiones hominum: actiones autem metiri ſolemus voluptate & dolore. Itaq́ non ineptè ſentiunt, qui virtutem circa voluptatem & dolorem verſari aſſerunt.

Circa vtrum horum, virtus magis ſuo munere fungitur?

Circa voluptatem. Nam omnis virtus, quemadmodum & ars, verſatur circa difficilius: voluptatem verò moderari multò difficilius eſt, quàm decenter perferre dolorem. Eſt .n. difficilius illi reſiſtere, quàm vel ipſi iræ: quæ tamen omnium animi perturbationum vehementiſsima eſſe putatur.

Cap. IIII. *Miror autem, quòd dicis, oportere iusta agendo iustum fieri. Putabam enim, iusta agentem, iam antè iustum esse: quemadmodum, qui Grammaticum aliquod, aut Musicum opus præstat, Grammaticum & Musicum esse oportet?*

Primùm nego, quicunq; Grammaticũ aut Musicum opus edit, esse Grammaticum, aut Musicum. Possunt enim talia etiam casu, aut alio suggerente fieri. Dicitur autem Grammaticus, & Musicus, non qui casu, aut imitatione: sed ex artis præceptis tale quid edit.

Præterea dissimilis est artium, & virtutum ratio. Artis enim opus, perfectionem suam in seipso habet: itaq; sufficit, si certa ratione conformatum efficitur. Virtutis autem opus, commendationem suam accipit ab ipso agente: si nimirum ille sciens, & consultò agat, quod iustum est, nec aliud in hoc quærat, quàm ipsam iusticiam: ac deniq; idipsum constanter agat, firmoq; proposito. Hæc enim omnia, ad virtutis opus pertinent. Et quæ actiones hoc modo non aguntur, (quales certè omnes illæ sunt, quas ante habitum edimus) etsi iustæ quodammodo dici possunt: non tamen is, qui eas agit, ex ipsis iusti nomen promeretur.

Quò

Quò facilius virtutem consequar, scire cupio, quid virtus sit? Cap. V.

In genere quidem nil aliud est, quàm habitus, quo vir bonus efficitur, & munus suum benè ac laudabiliter obit. In specie verò est habitus eligendi, vel consultò agendi: positus in mediocritate ea, quæ nos respicit, & vt vir prudens definiret: hoc est, moralis habitus, quo semper id agimus, vt quod moderatum, nobisq; conueniens ac honestum est, consequamur.

Cur habitum vocas?

Quia cùm animi qualitas sit: oportet, vt aut habitus sit, aut facultas, aut affectus aliquis. Quartum enim dari nequit. Manifestum verò est, eam affectum dici non posse: cùm affectibus nec boni nec mali dicamur: nec laudemur, nec vituperemur: attamen à virtute dicamur viri boni, & eo nomine commendemur.

Præterea turbamur affectibus sine προαιρέσεως & inconsultò. Virtus verò, aut προαίρεσις & consilium est, aut certè sine eo esse non potest.

Taceo nunc, quòd affectus motus quidam sunt: quibus non disponi, sed

moueri tantùm dicimur: virtutes autem motus non sunt: sed dispositiones, quibus disponi, quodammodo & confirmari solemus.

Cæterùm, quòd neq; facultas sit: ijsdem propè rationibus planum euadit. Propter potentias enim, seu facultates, nec boni nec mali dicimur: ideoq; nec laudamur, nec vituperamur.

Deinde, potentiæ nobis natura insunt: virtutes verò & vitia, nobis natura non insunt: sed vsu parantur, quemadmodum suprà ostendimus.

Cap VI. *Probæ, eam in mediocritate consistere?*

Quòd si artes & disciplinæ, tum munere suo probè funguntur: cùm opera sua ad mediocritatem referunt: virtus certè, quæ omni arte præstantior est, ac certior, ad medium sua multò magis reuocabit.

Videmus præterea, quod in affectibus & affectionibus moderatione caret, & vel plus vel minus est, grauiter reprehendi: virtus verò, in ijs adeò non reprehenditur: vt ab omnibus bonis etiam celebretur.

Et, si virtus in extremis, id est, in excessu & defectu esset posita: certè, vt extre-

extrema plura ſunt, vnum verò tantùm medium: ita quoque plures eſſent vnius rei virtutes, & vnum tantùm vitium. Sed hoc affirmare abſurdum eſt. Cùm enim plures ſint peccandi modi, virtutis & rectè agendi tantùm vnus eſt: quemadmodum etiam Pythagorei ſentiunt.

Cur addis: Quæ nos reſpicit?

Quia duplex eſt medium: alterum quidem rei: quod ab vtroque extremo diſtat æqualiter, vnumque & idem eſt apud omnes: alterum verò perſonæ (vt vocant) vel reſpectu noſtri: vt quod nec plus eſt, nec minus, quàm decet: ſed cuiuſque perſonæ accommodatum. Obſeruatis ſimul, & loco, & tempore, & ſingulis alijs actionum circumſtantijs. Et hoc poſterius, tum ab artibus, tum à virtute, expetitur.

Quorum extremorum eſt iſta mediocritas?

Duorum vitiorum: quorum alterũ ab officio viri boni deficit: alterum verò in eo modum excedit. Itaque hoc exceſſus, Græcè ὑπερβολὴ: illud ἔλλειψις, id eſt, defectus dicitur.

Num quilibet affectus, & quæuis actio, huius mediocritatis capax eſt?

Sunt quædam actiones (vt & affectiones) quæ nec excessus, nec defectus ratione, sed sua natura malæ sunt: vt malenolentia, inuidia, impudentia: item furtum, adulterium, cædes. Quæ cùm non posśint vllo vel modo, vel tempore fieri, vt se bene habeant: mediocritatis certè capacia non sunt.

Et sanè: si admitterent mediocritatem aliquam: caperent etiam eiusdem excessum & defectum: & sic fieret excessionis excessus, & defectionis defectio.

Adde, si mediocritatem admitterent istæ viciosæ actiones: vicisśim actiones honestæ excessum & defectum suscipe-rent, quo simul turpes esse possent. Sed hæc absurda esse, nemo non intelligit.

Cap. VII. *Vt videam, virtutem in medio positam: cupio id mihi in singulis eius speciеb. demonstrari?*

Hîc primùm scire oportet, moraliũ virtutum quatuor esse genera: quorum primum, versatur circa hominis corpus: secundum, circa eiusdem bona & mala externa: tertium, circa hominum conuictum & conuersationem: quartum, circa contractus & commercia: quæ singula, inter excessum & defectum posita esse, facilè ostendam.

Quæ-

Quænam occupantur circa curam corporis?

Fortitudo & Temperantia: quarum prior quidem, moderatur metum & fiduciam circa mortis pericula: estq; mediocritas inter audaciam & timiditatẽ: quarum illa excessus, hæc verò defectus quidam est. Posterior autem versatur circa corporis voluptates, conceptas ex Venere & gula: circa quæ ipsa medium tenet inter intemperantiam, vtpote modum excedentem, & ἀναισθησίαν, deficientem, quæ Latinè stupiditas dici posset.

Quæ circa bona & mala externa occupantur, quotuplices sunt?

Quædam affectus actionesq; nostras moderantur circa pecunias, vt in minoribus liberalitas: cuius excessus est profusio, defectus illiberalitas. In maioribus verò sumtibus magnificentia: cuius excessus luxus quidam seu insolentia dici posset: defectus, præpostera quædam parsimonia.

Quædam verò versantur circa honores & ignominiam: qualis est, in maioribus quidem, magnanimitas, mediocritas inter superbiam & pusillanimitatem: in minoribus verò, virtus quæ-

dam nomine carens : cuius exceſſus eſt ambitio, defectus verò, honoris contemtus.

Quædam deniq; munere ſuo fungitur circa offenſas, & iram ex ignominia conceptam : quæ manſuetudo, exceſſus verò eius iracundia, defectus nimia patientia dicitur.

Quæ circa conuictum hominum occupantur, quotuplices ſunt?

Cùm conuictus hominum conſiſtat in orationis actionumq; communione : in ea verò aliâs veritas ſpectetur, aliâs vitæ iucunditas : & hæc captetur, vel in ocio tantùm, & iocis, vel etiam in reliqua vitæ conſuetudine, verum quidem in ſermone moderatur ἀλήθεια, ſiue integritas : cuius exceſſum arrogantiam, defectum Ironiam vocant. Voluptatem autem iocandi, comitas, ſeu feſtiuitas : cuius exceſſus ſcurrilitas, defectus ruſticitas dicitur. Circa iucundum deniq; in cæteris vitæ commercijs, officium ſuum facit ipſa humanitas : in qua excedentes, blandos, deficientes verò moroſos dicere conſueuimus.

Quæ verſatur circa contractus?

Ipſa iuſticia. Verſatur enim circa bona

bona malaq; hominum, vel commutanda, vel distribuenda. Extrema autem eius sunt, plus & minus: quæ ambo, oppositus iniusticiæ habitus complectitur.

Num etiam affectus aliqui sunt, qui in medio consistunt?

Talis certè affectio est verecundia: cuius excessus stupor, defectus impudentia dicitur. Item indignatio: cuius excessus inuidia, defectus maleuolentia vocari solet.

Quomodo se habent ad se inuicem, excessus, defectus, & medium? Cap. VIII.

Habent inter se rationem oppositorum. Medium enim, & excessui & defectui opponitur. Vt enim æquale cum maiori collatum, minus: cum minori verò, maius est: ita quoq; medium ab excessu quidem deficit, defectum verò excedit: & sic vtriq; opponitur.

Deinde, opponuntur etiam sibi inuicem excessus & defectus. Inter se enim longissimè distant. Ac multò longius, quàm ab ipso medio. Cum.n. ambo habeant cum medio quandam similitudinem: ipsa tamē sibi inuicem dissimilima sunt. Vt in profusione & auaricia, timiditate & audacia, & cæteris, videre licet.

Exceſſúſne an defectus, medio magis opponitur?

Quibuſdam mediocritatibus, magis opponitur exceſſus: vt temperantiæ, manſuetudini, integritati: aliquibus verò defectus: vt fortitudini, liberalitati, animi magnitudini. Hoc autem accidit, tum quia alterum eſt medio ſimilius, ideoq; propinquius: tum quia ad alterum propenſiores ſumus & procliuiores. Semper enim id, ad quod corrupta noſtra natura procliuior eſt, longiùs à virtute videtur recedere.

Cap. IX. *Cùm igitur virtus in medio conſiſtat: & non niſi moderatis acquiratur actionibus: dic mihi, quomodo medium agendo conſequar?*

In ſingulis inuenire medium, eſt admodum difficile. Vt enim circuli deprehendere medium, non cuiuſuis eſt: ſed docti tantùm: ſic & in actionibus medium conſequi, id eſt, quomodo, vbi, quantum, & quando aliquid agendum ſit, nō quiuis poteſt, ſed vir prudens ſolùm. Vt autem habeas aliquod eius conſequendi adminiculum: tria potiſsimum tibi tenenda ſunt.

Quod eſt primum?

Ab eo extremo, quod medio magis opponitur, ſtudiosè recedendum eſt: & ad

ad id declinandū, quod illi videtur esse propinquius: vt in quo minus peccari posſit. Semper enim ex duobus malis, quod minus malum eſt, quodammodo bonum, & expetibile redditur.

Quod eſt ſecundum?

Videndum eſt, ad quæ vitia ſit quiſq; natura procliuior: dandaq; opera vt ſeipſum quodammodo in contrarium retrahat: vt ſi ſit natura intemperantior, enitatur in ἀναισθησίας vitium. Quò longius enim appetitum ab adamato vitio abſtraxerit: eò facilius ad medium deueniet. Cæterùm, inclinationem qua ad vitium aliquod procliuior eſt, ipſa delectatio facilè prodet.

Quod eſt tertium?

In omni negocio, quàm maximè voluptas cauenda eſt: nec vnquam committendum: vt eius cauſa aliquid ſuſcipiamus. Cùm enim eius amor nobis à teneris ſit inſitus: imponere nobis, ac decipere poterit, antequam animaduertamus. Itaq; ad rem quamlibet iucundam confeſtim dicamus: quamuis iucunda, quamuis blanda ſis, negligam tamen te potiùs, quàm vt ſubeam turpitudinis periculum.

Liber tertius.

Cùm virtutem vocâris ἕξιν προαιρετικὴν, id est, eligendi habitum: scire cupio, quid sit electio?

ELectio (quam alij consilium, alij propositum, Græci προαίρεσιν vocant) nil aliud est, quàm spontaneum eius, cuius deliberatio præcessit: vel, vt breuiùs dixerim, consulta expetitio eorum, quæ in nostra potestate sunt.

Cap. I. *Quid vocas spontaneum?*

Cuius principium est in ipso agente, & ciente singulas actionis circumstantias.

Quid inuitum?

Omne id, quod aut violentum est, & à vi coacto suscipitur: aut per ignorantiam admittitur.

Quid vocas violentum?

Cuius principium foris est, nil conferente eo, qui agit aut patitur. Vt cùm nauigantem sæua tempestas reiecerit, quò minùs ad destinatũ diẽ, loco certo compareat. *Quo-*

Quotuplex est violentum?

Id aut absolutè & simpliciter violentum est, quale modò descripsi: aut secundum quid, seu mixtum violentum: vt cùm id, quod aliâs nunquam susciperemus, nunc tamen suscipimus: vel ad insigne bonum consequendum, vel ad maius malum euitandum: vt cùm quis in mari ad præcauendum naufragium, mercium suarum iacturam facit.

Actiones, quas mixtas vocas, inuitæ'ne, an voluntariæ magis, dicendæ sunt?

Licèt per se inuitæ sint: in hisce tamē casibus accedunt magis ad voluntarias. Definiuntur enim actiones circumstantijs, ac tempore quo fiunt: hæ verò pro circumstantijs ac tempore, quo suscipiuntur, spontè fiunt. Spontaneas enim facit illas ipse finis, cuius gratia tum aguntur.

Cumq; violentum sit, cuius principium foris est: in istis actionibus ipse agens aut patiens, principium mouendorum membrorum in seipso habet.

Tum, quæ inuita sunt, nec laudari, nec vituperari solent: harum verò actionum, aliæ laudantur, aliæ vituperantur, aliæ

alias etiam execramur: Paucæ verò sunt, quibus veniam dare consueuimus.

Differentias istas explicari mihi velim?

Qui molestiam aliquam subit: aut aliquid agit, quod indecorũ est, deforme, aut insolens, vt inde rem aliquam honestam, & præclaram consequatur, eum laudare solemus. Ita enim Solon pro patriæ commodo insaniam simulauit.

Qui verò admittit, quod turpe est, ac probrosum: idq; ob rem nec honestam, nec dignam: vt qui vanis comminationibus territus, hosti se dedit: eum nemo non vituperat.

At qui turpe quid agit, grauissimis impulsus causis: quas nemo alius sustinere posset: vt qui inter sæuissimos torturæ cruciatus, heri sui arcana prodit: ei veniam concedimus.

Cæterũ, qui parricidia admittunt, fidem abnegant, in Deum blasphemi sunt: eos simpliciter execramur. Ad talia enim nullus vir bonus se cogi patitur: sed extrema quæq; subeunda, & mortem potiùs oppetendam ducit.

Num, vt quidam putant, etiam iucunda & molesta, violenta sunt?

Si violenta essent, quæ iucunda & molesta sunt: oporteret vniuersa quæ agimus, violenta dici. Nam impellente dolore & voluptate, cuncta agimus.

Et si iucunda inuita essent: dolorem afferrent & molestiam, sicut inuita solent: videmus autem illa nos magnopere delectare.

Præterea si violenter cogerent quæ iucunda sunt: vim illam haberent in omnes. At iucundis capiuntur aliqui tantùm, idq́ proprio vitio, vel intemperantiæ, vel incontinentiæ.

Denique, si iucunda violenta essent, honesta essent violentissima: inter iucunda enim honesta primum locum obtinent.

Num omnis ignorantia, quæ in actionem cadit, eam inuitam efficit?

Non. Siquidem ignorantia alia est vniuersalium: vt cùm ignoramus, quid nobis eligendũ, & quid in agendo conducibile: honestum aut iustum sit: quæ vulgò iuris ignorantia dicitur. Quæ, cùm propositum in agendo nostrum non impediat, sed tantùm corrumpat, inuitam actionem non efficit.

Alia

Alia verò est singularium, hoc est, loci, temporis, personæ, modi, aliarumque circumstantiarum, in quibus ipsa actio consistit: quæ aliâs facti ignorantia dicitur. Hæc, cùm propositum in agendo impediat: & ad ea agendum impellat, quæ nunquam cogitaueramus actionem verè inuitam efficit.

Num ergo omnes, ex ignorantia facti peccantes, inuiti peccasse dicuntur?

Quos quidem post factum, errore deprehenso, pœnitet: eos inuitos egisse puto. Quos autem tum non pœnitet: nec volentes dicere possum: cùm quid agerent, ignorarent: nec etiam inuitos: cùm nil videantur contra voluntatem egisse. Itaque intermedia voce, non spontè peccasse, dicendos arbitror.

Num etiam inuita sunt, quæ ex ira & cupiditate fiunt?

Non quidem desunt, qui vniuersa quæ ex affectu fiunt, inuita vocant: qui tamen, si verum dicerent, inuita forent quæcunque fierent, & à brutis, & à pueris.

Nec verò turpia solùm (vt illi putant) inuita essent: sed etiam quædam honesta: cùm ex affectu multa honestè fiant.

Imò

Imò vir bonus inuitus officium faceret. Nam ex officio quibusdam irascitur, quædam expetit.

Cumq; omnia inuita molesta sint: oporteret etiam ex cupiditate profecta, creare molestiam: cuius tamen contrarium experimur.

Et si illa inuita vocant: quia improba sæpè sint: etiam inuita vocabunt, quæ à ratione peccantur: quæ tamen illi inuita esse negant.

Taceo nunc, quòd affectus nostri, principium suum in nobis habent, & omnino in nobis oriuntur: quorum verò principium & causa in nobis est, ex ijs non potest inuita actio effici.

Cùm igitur electio, seu propositum, spontaneum quiddam sit: dic mihi, cupiditásne an ira dicenda est? Cap. II.

Quòd cupiditas non sit, inde patet: quòd illa communis est homini cum brutis: cùm electio sit solius hominis.

Cumq; cupiditatibus indulgentes incontinentes dicantur: videmus tamē electione homines continentes fieri.

Præterea, cupiditas cupiditati (in eadem materia) non repugnat: electio

autem cupiditati sæpè aduersatur, in eodem negocio.

Tum cupiditas in rebus spectat tantùm, quid iucundum, & molestum sit: electio verò quid honestum ac turpe, quid vtile ac noxium.

Cumq; hinc pateat electionem cupiditatem non esse: multò minùs iam ira dici poterit: cùm ex ira profecta, minimè omnium consultò facta dicantur.

Num verò idem est, quod voluntas?

Est quidem illi quodammodo affinis: idem tamen cum ea dici non potest. Est enim electio eorum tantùm, quæ sunt in nostra potestate: voluntas verò etiam impossibilium. Volumus enim non mori.

Cumq; electio sit tantùm propriorum, quæ scilicet nos ipsi acturi sumus: voluntas etiam alienorum negociorum est: quæ volens ipse suscepturus non est.

Voluntas præterea magis est ipsius finis: vt sanitatis, felicitatis, victoriæ: electio verò seu consilium, mediorum potiùs, quibus ipsum finem consequimur: vt medicinæ, virtutis, militiæ.

Num, autem opinio dici posset?

Multò

Multò minùs. Versatur enim electio seu consilium, tantùm circa res gerendas: opinio verò circa vniuersa, quorum est aliqua noticia.

Et electio quidem æstimatur bono & malo: opinio autem, vero & falso.

Cumq; ab opinione nec boni nec mali dicamur: ab electione tamen alij boni dicuntur, alij improbi.

Præterea, opinione res tantùm cognoscimus: electione autem eas aut prosequimur, aut fugimus.

Et opinio quidem laudatur à veritate: electio verò à bonitate.

Opinio etiam est incertorum, de quibus subdubitamus: electio verò eorum, quæ bona esse persuasum habemus.

Deniq;, si idem essent: sequeretur, vt quicunq; optimas opiniones haberet, etiam optima eligeret: adeoq; optimus esset: id quod manifestò falsum est.

Quò melius intelligam, quid sit electio: cupio etiã dici aliqua, de ipsa deliberatione: & primùm, quæ in deliberationem veniant? Cap. III.

Cùm eorum, quæ humana mente percipiuntur, quatuor sint species, (nam aut æterna sunt, aut naturalia, aut

fortuita, aut humana) de solis humanis rebus, vel agendis, vel faciendis, deliberatio suscipitur: siquidem hæ solæ nostræ potestati subiectæ sunt.

Num de quibuslibet hominum rebus deliberatio suscipitur?

Humanorum negociorum quædam aliena sunt, quædam propria: & ex proprijs, quædam sunt definita scientijs: quædam nituntur artificiosa coniectura: vt quæ artibus & prudentiæ subiecta sunt. Suscipitur autem deliberatio tantùm de proprijs: & ijs quidem quorum nonnihil incertus est, dubiusq; exitus. De alienis enim negocijs, aut ijs quæ certa & indubitata sunt, nemo sanus deliberat.

Quomodo ergò deliberatio instituenda est.

Primùm quidem in rebus arduis assumendi sunt consultores. Plures enim meliùs deliberant. Deinde, fine ac scopo consultationis proposito, quærenda media, quibus illum consequamur: & si plura ex ijs occurrunt, quodnam ex ijs futurum sit optimum. Cui porro quoq; medium quærendum, per quod hoc consequamur: & huic denuò aliud: donec deuentum fuerit ad vltimum, quod sit

sit ἄμεσον, id est, nullum aliud medium requirat: sed à nobis apprehendi posſit. Ab hoc poſtea executio incipienda eſt: & inde cuncta habitæ conſultationis media agendo retexenda ordine: donec propoſitum finem & exoptatum bonum conſequamur.

Quid verò deliberando quæritur?

Quærimus deliberando nec res oculis noſtris expoſitas: vt ſitné panis hic probè concoctus: nec ipſum conſultationis finem: vtpote quæ nobis iam antè pateant: ſed, vt modò dixi, media propoſito fini profutura: vt ſunt inſtrumenta commoda, eorundemq́ conuenienѕ vſus: ratio item ac modus, quo res expediri poſsit: aut denique amici, quorum opera eam conficiamus. Multa enim, quæ nobis impoſsibilia ſunt, per fideles amicos conficimus.

Quomodo differunt deliberatio & electio?

Deliberatio verſatur circa materiam adhuc incertam, de qua conſultando modò quæritur. Electionis verò materia certa iam eſt & manifeſta. Eſt enim id quod iam decretum eſt, & in deliberando cæteris prælatum. Vnde etiam

Græcè προαιρετὸν dicitur, quasi πρὸ ἑτέρων αἱρετόν.

Quomodo hæc ambo differunt à voluntate?

Cùm ad actionem duo concurrant: finis scilicet seu bonum, cuius causa actionem suscipimus: & media, quibus agendo bonum illud consequi contendimus: deliberatio quidem & electio mediorum sunt; voluntas verò ipsius finis, siue boni. Solum enim bonum voluntati subijcitur.

Cap. IIII. *Num reuerà bonum, an apparens tantùm, voluntati subijcitur?*

Socratici quidem, id tantùm reuera bonum: Academici contrà, apparens solùm esse putârunt: quorum tamen neutris subscribo. Nam ex Socraticorum sententia sequeretur: id quod improbus vult, aut voluntati non subijci, ideoq; ipsum inuitum peccare: aut si voluntati subijceretur, id etiam bonum esse. Secundum Academicos autem concedere oporteret, nil esse sua natura exoptabile: sed id solum, quod cuiq; videretur: deinde quòd res exoptabiles essent inter se contrariæ. Apparent enim alijs alia: & sæpe, contraria expetenda videntur.

Quæ

Quæ ergo tua est sententia?

Puto neutrum genus excludendum: sed vtrunque coniungendum esse. Quod enim reuera bonum est, id simpliciter voluntati subijcitur. Adparens autem, licèt simpliciter exoptabile non sit: alicuius tamen voluntati subijci videtur: eius nimirum, cui bonum apparet.

An'non omnibus apparet quod reuera bonũ est?

Viris quidem bonis nil bonum apparet, nisi idem verè bonum sit. Adhibent enim illi rebus iudicandis veram mensuram rerum omnium, rectam rationem. Improbis autem sæpe bonum apparet, quod sua natura malum est. Solent enim illi, pro suo peruerso iudicio, quicquid aliqua voluptate tinctum est, bonum appellare: etsi reuera sit noxium.

Sunt'ne virtutes, & vitia in hominis arbitrio posita? Cap. V.

Maximè. Cuius enim causæ penes nos sunt: idipsum nostræ potestatis est. Actiones autem honestæ, quas virtutum causas esse probauimus, penes nos sunt. Nam finis earum nostræ voluntati subijcitur: media verò electioni, vt priùs dixi.

Porrò, vt actiones honestæ virtutum, ita turpes vitiorum causæ sunt: cumq; honestæ nostri sint arbitrij: profectò & turpes penes nos erunt. Si enim honesta agere liberè possumus: certè etiam possumus turpia omittere: & vicissim qua libertate honesta omittimus: eâdem & turpia agimus. Itaq; non virtutes solùm, sed & vicia, sunt in nostra potestate posita.

Atqui Platonici ab hac opinione dissentiunt?

Quid illi sentiant, non ignoro. Putant enim virum bonum solùm sponte agere: improbum autem vicijs inuitum laborare. Qui tamen manifestè falluntur. Est enim homo suarum actionum principium: cuius verò principium in nobis est, id nostræ potestatis est.

Et si vicia non essent in potestate improbi, magistratus ea in ipso non castigaret. Videmus autem eum vicia prohibere, & peccantibus pœnas infligere: nec eos solùm malè mulctare, qui scientes peccant: verùm etiam qui ex ebrietate delinquunt, aut inscitiâ legum, quas scire oportebat: aut quacunq; alia ignorantia, cuius quis ipse sibi causa fuit. Talem enim quid agendum fuerit,

non ignorare potuisse putant: si modò ad id discendum diligentiam adhibere voluisset.

Atqui hac ignorantia, videtur esse inuita: Multi enim (vt iniusti & intemperantes) ad talia discenda diligentiam adhibere nequeunt.

Hi verò, quòd tales euasêre, ipsimet in causa sunt: quòd primùm iniustè ac dissolutè vixêre: non ignari se inde tales euasuros. Videmus enim & in cæteris, qualia quisque exercet, talem ipsum etiam habitum contrahere.

Deinde cùm qualia quisque tractat, talibus etiam delectari videatur: absurdum esset, si dicerent se inuitos intemperantes aut iniustos esse: ideoque honestis rebus non posse dare operam.

Si quis esset sua sponte improbus: posset quando vellet, ab improbitate desistere: quod tamen pleriq; nequeunt?

At neque corporis morbi, quando volueris, deponi possunt: cùm tamen illorum plurimi sint voluntarij, vtpote intemperantia contracti. Vt enim qui lapidem misit, licèt eum retrahere nequeat: spontè tamen misisse dicitur: quia in eius potestate erat lapidem su-

 mere,

mere, ac mittere: ita quoque morbi, tum corporis, tum animi: licèt iam, cùm habitum induerunt, nostræ potestatis esse desinant: voluntarij tamen sunt: quia tum, cùm contraherentur, à volentibus contracti sunt.

Quilibet autem agit, quod bonum esse putat: sed vt alicui verum bonum appareat, penes ipsum non est, Tale enim cuiq; apparet, quale ingenium possidet?

Tale verò ingenium homo aut à natura habet, aut à consuetudine. Quòd si à consuetudine: patet iam id esse voluntarium. Quibus enim assueuimus: ijsdem etiam non assuescere poteramus. Sin autem à natura: & propterea falsi boni expetitio inuita est: sequitur non vitium tantùm, verùm etiam (quod ipsi negant) virtutem inuitam esse. Eadem enim natura & prudentis & stupidi ingenij causa est.

Cupio nunc audire de singulis virtutibus: & primùm de fortitudine: quæ cùm metum moderetur & fiduciam: dic mihi quæ sunt, quæ vulgò metui solent?

Hæc sunt: infamia, paupertas, morbus, solitudo, liberorum & vxoris de-

decus, vulnera, mors: & in summa, quicquid malum est. Metum enim definientes, cum mali expectationem esse dicunt.

Versatur'ne fortitudo circa hæc omnia?

Non. Quædam enim mala sunt, quæ metuere honestum est: vt dedecus, infamiam, cladem patriæ. Quædam verò etiam sine virtute contemnimus: vt orbitatem, morbum, paupertatem. Quorundam etiam metu timidi nō dicimur: vt sunt exilium, inuidia, vxorium dedecus. Tum nonnulla ex vitio non metuimus: quemadmodum mancipia & serui flagella & verbera non metuunt. In quibus omnibus fortitudo nullas partes habet.

Circa quod ergò terribile malum fortitudo suo munere fungitur?

Circa malum horribilissimum, mortem scilicet, & eam quidem solam quæ in bello oppetitur. Est enim illud genus mortis pulcherrimum, quippe quod oppetitur in pulcherrimis & maximis Reipublicæ periculis: & quod à Republica, principibusq; viris honestissima præmia consequitur.

Nam

Num autem vir fortis in morbo, aut maris periculis trepidat?

Etsi fortitudo circa hoc genus mortis propriè non versatur, idq; vir fortis magnopere detestatur: vt in quo nec virtuti locus sit, nec patriæ salus defendatur: cùm tamen ita sibi moriendum videt: quod fata ferunt, magno præsentiq; animo sustinet.

Cap. VII. *Quò melius rem totam intelligam: dic quotuplicia sunt, quæ metum incutiunt?*

Quædam tanta sunt, vt animi humani constantiam vincant: vt terræmotus, inundationes, & fulmina: quæ omnes homines, sana mente præditos, terrent. Quædam verò talia, vt ab homine sustineri posisint: quæ alijs quidem leuiora, alijs grauiora videntur. In quibus posterioribus vir fortis munere suo fungitur.

In hoc ergo genere, vt se gerit quem virum fortem nominas?

Fortis pericula quidem metuit (siquidem homo est) honesta tamen subit, illaq; sustinet & perfert, quando, vbi, & quemadmodum oportet & in summa, vt recta ratio & militaris disciplina postulat: idq; tantùm honestatis gratia.

Qui

Qui in periculis modum excedit, quotuplex est?

Hic aut metuendo deficit, ac planè nullo mouetur periculo: q græcè ἄφοϐος dici posset, Latinè fortaßis insanus: aut confidendo modum excedit, qui θρασύς, id est, audax dicitur: vir reuera minimè fortis, sed tantùm fortitudinis simulator. Habet enim audaciam cum multa timiditate coniunctam: ac licèt pro sua arrogantia fortitudinem aliquam præ se ferat: & ad prima pericula satis viriliter gestiat: ea tamen si creuerint sustinere non audet.

Quomodo in ijs versatur ipse timidus?

Is quidem confidendo deficit: metuendo autem modum excedit. Metuit enim, nec quæ oportet pericula, nec vt, nec quando, nec quantum oportet: sed ad cuncta expauescit, estq; omnibus ijs inferior, quæ in viro forti requirimus.

Quid igitur est fortitudo?

Est mediocritas circa ea, quæ in bellicis periculis, aut fiduciam, aut metum afferunt: quæ ipsa subit & perfert: vel quia perferre honestum, vel non perferre turpe est.

Num

Num etiam fortes sunt, qui sibijpsis violentas manus afferunt?

Qui id faciunt, vt paupertatem, amorem, aliásue res molestas effugiant, fortes dici non possunt. Fortes enim labores & molestias nō fugiunt, sed sustinēt. Mortem verò subeunt, non quòd vita molesta: sed quia in præsenti casu mori honestum sit.

Cap. VIII. *Num ergo nō omnes, qui mortis subeunt pericula, fortes dicendi sunt?*

Multos inuenias, qui in bellis pericula subeunt: eoq; nomine fortes habentur: quos tamen Aristoteles verè fortes esse negat. Primùm enim sunt qui pericula subeunt tantùm, vt honores consequantur & præmia: aut etiam dedecus, pœnásue effugiant: quos, quia alium finem habent, quàm honestatem, propositum: à verè fortibus excludit.

Deinde quosdam animosos efficit experientia rei militaris, armorumque vsus: & quòd vanos belli terrores, qui alijs metum incutiunt, agnoscunt. Qui licèt maximè pugnaces videantur: non infrequenter tamen, crescente periculo, (quod ipsi citiùs alijs animaduertunt) primi omnium fugiunt.

Præte-

Præterea, quoſdam in prælia extrudit ira,& indignatio: qui à fortibus quidem in hoc diſtant: quòd non imminens ſibi malum auertere: ſed iam acceptum compenſare cupiunt: nec dimicant honeſtatis adducti ſtudio, ſed vt cupiditati ſuæ ſatisfaciant. Cuius gratia ſi fortes dicendi eſſent: etiam fortes dici poſſent adulteri: cùm & ipſi pro ſuis cupiditatibus pericula ſubeant.

Porrò, excipiendi quoque videntur, quos audaces efficit ſpes victoriæ: quæ, licèt illis cum viro forti communis ſit: in hoc tamen differunt, quòd forti animum addit cauſæ bonitas: ob quam etiam periculis immoritur. Hi verò tantùm ſperant, ſe ſuperiores futuros, nilq; paſſuros.

Denique, inueniuntur quidam in periculis audaces, tantùm, quia ignorant periculi magnitudinem: quos quidem minimè omnium fortes dixerim. Siquidem planè nil habent, quo periculum ſuſtineant. Itaque cùm deprehenderint, rem ſe aliter habere atque putârant: ſe protinus in pedes conijciunt.

Cap. IX. *Circa terribilia'ne magis fortitudo versatur, an circa ea quæ fiduciam afferunt?*

Circa terribilia plus illi negocij est. Qui enim in illis perturbatione vacant, fortiores esse oportet. Et vulgus nullos alios fortes nominat: quàm qui res acerbas & molestas perferunt. Atq; hinc fit, quòd actiones eius molestiam afferunt, & dolorem. Is enim non ex rebus fiduciam afferentibus, sed ex ijs tantùm, quæ terrorem & metum incutiunt, militum animis oboritur.

Atqui putabam, virtutum actiones iucundas esse?

Et sanè huius quoq; actiones, si finem spectes, iucundæ sunt. Si verò considères circumstantes molestias: videbitur iucundum illud multum obscurari, ac propè deleri. Sunt enim suscipienda vulnera, & vita cum morte commutanda. Quæ licèt vir fortis pro honestate subeat, ac perferat: illis tamen, nolit velit, dolet: idq; eò magis, quò virtutibus est instructior atq; felicior. Nam in huiusmodi casibus, omnibus suis bonis exuitur.

Cùm autem propter mortem & vulnera doleat, quomodo fortis dici poterit?

Imò

Imò quò magis dolebit, eò fortior habendus erit. Cùm enim vulnera, & mortem nihilominus ſubeat, ideoq́ moleſtiſsima ſibi patiatur & ſuſtineat, modò vt quod honeſtum eſt conſequatur: videbitur virtutis ſummo amore flagrare: eamq́ cunctis alijs, etiam cariſsimis, anteponere.

Si fortes dicēdi ſunt, ij tantùm, quibus virtus curæ eſt: hodie certè pauci milites, fortes dici merebuntur?

Milites noſtri ſi modò robuſti ſunt, & pugnaces: nil refert ſi maximè nulla virtute, nec vllis alijs bonis inſtructi ſunt. Tales enim, etiam ſine fortitudine, pericula ſubeunt, vitamq́ ſuam paruo lucro commutant.

Circa quæ verſatur Temperantia? Cap. X.

Circa voluptatem, & dolorem eum, qui ex rei iucundæ priuatione animo concipitur.

Num circa quaslibet voluptates munere ſuo fungitur?

Excipiuntur hîc voluptates animi: vt quæ percipiuntur ex contemplatione, fabulis, honoribus, & amicorum colloquijs.

Deinde etiam è corporis voluptatibus, quas visu, auditu & olfactu percipimus. Etsi enim ex illis aliâs laudem meremur; aliâs vituperium: ex ijs tamen, nec intemperantes, nec temperantes dicimur.

Cumq; temperantia versetur circa eas tantùm voluptates, quę homini cum brutis communes sunt: hisce bruta non communicant. Itaq; nec temperantiam moderatricem requirunt.

At intemperans etiam visu, auditu, & olfactu delectatur: ac inde intemperantiæ arguitur?

Non ignoro hominē Apitium odore fragrantis vini, opiparíq; cibi nidore affici: amatorem verò adamatæ vel conspecta facie, vel exaudita voce delectari. Oblectant autem hæc illos non per se, sed per accidens, & ob id solùm, quia rei iucundæ, quæ subest, vel præteritam fruitionem in memoriā reuocant: vel certè eius mox fruendæ spem ipsis faciunt.

Ergóne circa gustus & tactus voluptates occupatur?

Circa gustus quidem voluptates, nō occupatur magnoperè. Fit enim gustatio extremis tantùm labijs & pitissando, ac

do,ac decerpta rei ſapidæ exili portiuncula. Intemperantes autem pitiſſando non gaudent, ſed fruendo potiùs: id quod tactu percipitur.

Præterea ex tactus voluptatibus excipiuntur, quas toto corpore percipimus, ex frictionibus, & calefactione: vtpote maximè liberales, & ingenuæ.

Verſatur autem temperantia circa eas ſolas, quas tactu duarum corporis partium percipimus: nempe verendorum & gulæ. Sunt enim illæ nobis cum cæteris animalibus communiſsimæ: ideoq; vt maximè ſeruiles ac belluinæ, habitu aliquo vel moderandæ, vel coërcendæ.

Harum igitur voluptatum cupiditates quotuplices ſunt? Cap. XI.

Quædam communes videntur, ac planè naturales: vt quibus omnes tenemur naturæ inſtinctu: qualis eſt appetitus cibi, potus, & Veneris. Quædam verò aſcititiæ, ac propriæ: quæ nimirum priuata conſuetudine modò acquiruntur: vt cupiditas certi cibi, vel potus, certæque mulieris. Et in prioribus quidem pauci peccant, ac in vno tantùm, eo nempe quod nimiū eſt: quemadmodum

modum οἱ γαστρίμαργοι ventrem suprà modum cibo replentes. In posteriori-bus verò peccatur variè à multis:& propterea circa eas propriè temperantia suo munere fungitur.

Quomodo circa eas se gerit intemperans?

Hic modum transit in omnibus. Sectatur enim voluptates quaslibet: & inter has maximè turpes & illicitas: ac in ijs perfruendis, nec modum seruat, nec se respicit: sed ita earum cupiditate rapitur:vt si illas habere posit, eas omnibus alijs rebus anteponat. Sin autem eripiantur,animus eius summoperè discrucietur.

Qualis in hisce est ὁ ἀναίσθητος seu stupidus?

Is mores habet modò dictis contrarios. Deficit enim in omnibus:ac voluptates vniuersas,tam honestas, quàm turpes,tam salubres, quàm noxias, quasi surdis auribus præterit. Tales autem admodum rari sunt. Nam huiusmodi stupor, omni ferè sensu hominem spolians,ab humanitate planè alienus est.

Qui sunt mores temperantis in talibus,

Hic turpibus, quibus intemperans adeò

adeò capitur, non modò non gaudet: verùm etiam offenditur. Honestis verò ita fruitur, vt dignitatis suæ, temporis, loci, & hisce similium, rationem habeat: sicq; illis carere oporteat, non admodũ curet. Expetit autem præcipuè, quæ ad sanitatem faciunt, & bonum corporis habitum: cæteris ita dans operam: vt ijs nec rem familiarem, nec valetudinem, nec conscientiam suam offendat.

Vtrum est turpius vitium, intemperantia, an timiditas? Cap. XII.

Intemperantia videtur duabus de causis turpior. Primùm enim magis est voluntaria. Cùm enim timiditas contrahatur ex dolore, & mortis metu: & in talibus quidem casibus, vbi virtuti assuescere periculosum est: intemperantia ex voluptate suscipitur: & in ijs rebus, in quibus, virtuti, qui volunt, tutò assuescunt.

Deinde, videtur intemperantia vitium admodum puerile: vnde etiam apud Græcos ἀκολασία dicitur: qua vocula notatur aliâs peruersitas puerorum malè educatorum: quasi castigatio, quæ adhibenda fuerat, in illis neglecta sit. Non minùs autẽ quàm puer, castiganda

est nostra cupiditas. Nam æquè turpia expetit, & æquè crescit impunitate: cumque maior euaserit, rationis dictamen omne pertinaciter respuit.

Liber quartus.

Cap. I. *In quibus rebus liberalitas munere suo fungitur?*

IN accipiendis & erogandis pecunijs, cæterisq; rebus, quarum precium nummo æstimare consueuimus.

In erogandóne magis consistit, an in accipiendo?

In erogando. Versatur enim circa vsum pecuniæ: vsus autem eius, in erogando consistit, non in accipiendo.

Præterea virtutis semper magis est honesta agere, & benefacere hominibus: quàm vel turpia omittere, vel accipere beneficium.

Cumq; viros liberales amemus, laudemus, ijsq; gratias agamus: certum est, eos id erogando cõseq, nõ accipiendo.

Tum difficilius semper est liberaliter dare, quàm honestè accipere: virtutis verò ꝓprium est, versari circa difficilius.

Taceo

Taceo nunc, quòd vulgus nullos alios liberales vocat, quàm qui liberaliter erogant: qui verò non accipiunt vnde non oportet, iustos potiùs quàm liberales vocare solet.

Quomodo igitur vir liberalis donationes suas instituit?

Is ad largiendum inuitatur, nec honoris, nec lucri, sed honesti tantùm studio. Et operam dat, vt pecuniam rectè eroget, hoc est, quibus oportet, quando, quantum, &c. Dat etiam & donat cum voluptate, aut sanè absq; molestia magisq; dolet, si quod oportuit, non erogauit: quàm si, quod non oportuit, expendisse se deprehenderit.

Qualem se gerit in pecuniis quærendis, & iisdem custodiendis?

Vnde quidem rem facere & aliquid accipere turpe est, nihil accipit: nec etiam petax est, aut ad poscendum propensus.

Vnde autem accipere honestum est, accipit: verbi gratia de suis prouentibus: idq; vt habeat liberalitatis materiam.

Et quanquam in societate rei nummariæ facilis est, & percommodus (iniu-

rias enim ferre potest) sua tamen interim non negligit. Nec etiam largitur quibuslibet: vt nimirum quibus, & quando dare honestas postulat, dare & largiri possit.

Cùm dixeris, illum largiri, quantum oportet: scire cupio, quantum id esse debeat?

Qui verè liberalis est duo spectat. Alterum vt dando excellat: ita vt sibi minora, hoc est, viliora reseruet: munus autem adornet de præstantioribus. Alterum verò, ne interim suas facultates exhauriat. Aestimatur enim liberalitas, non doni magnitudine: sed ingenio animoq; donantis. Quo etiam fieri potest, vt liberalior sit qui pauciora donat: si tenuioris fortunæ fuerit.

Quotuplex est is quem prodigum vocas?

Quidam hoc solo peccant, quòd parum accipiunt, erogant nimium. Et hi propriè prodigi dicuntur: profundunt enim substantiam suam, ex qua viuendum erat. Ideoq; cùm ab inopia saluari nequeant: verè vocantur ἄσωτοι.

Alij autem, præter hoc, etiam alijs laborant vitijs. Præterquam enim, quòd nec quibus, nec quantum decet, largiuntur:

tur: cùm scilicet ditent quos pauperes esse oportebat, viris bonis interim neglectis, hoc insuper accidit, quòd bonis suis dilapidatis, sine discrimine, per fas & nefas, rem facere cupiunt: vtq; alijs largiri possint, alios spoliant. Præterea, scortantur, & helluantur, & in tales voluptates potissimùm fortunas suas profundunt. Et hos vulgus (impropriè quidem) prodigos nominat: siquidem plærique prodigi tales euadunt.

Illiberales quotuplices sunt?

Quidam dando deficiunt, qui nimirum vel nil erogant, vel admodum parcè, & cum dolore: quos parcos, tenaces, & sordidos nuncupant.

Quidam verò accipiendo modum excedunt: vt qui lucrum vndique captant: accipientes à quibus nō oportet, & plus quàm par aut honestum est, quos auaros vocamus. Tales autem sunt, qui exercent artes illiberales & sordidas: vt lenones, propolæ, aleatores, fœnatores: & in summa quicunq; sunt αἰσχροκερδεῖς, id est, turpi lucro dediti.

Quomodo illiberalitas ab iniustitia distinguitur?

Illiberalitas circa parua tantùm peccat: iniusticia verò etiam magna rapere consueuit.

Vtri deteriores sunt: illiberalésne, an prodigi?

Qui propriè prodigi dicuntur illiberalibus meliores videntur. Sunt enim sanabiliores: quippe qui curari possunt, cùm ætate, tum inopia, tum etiam meliore institutione: cùm tenaces videantur incurabiles: vel quia natura sumus ad illiberalitatem propensiores: vel etiam quia senectus, & omnis imbecillitas ad rem attentiores efficit.

Præterea prodigi non ita malè morati videntur. Dando enim, & non accipiendo, modum excedere, nec improbum, nec degenerem arguit animum.

Tum, cùm prodigus profusione sua multis prosit, suasq; fortunas sodalibus benignè communicet: tenax opibus à se partis nec sibi nec alijs prodesse dignatur.

Cap. II.

Quid interest inter liberalitatem & magnificentiam?

Circa pecunias quidem ambæ versantur: differunt tamen, quòd magnificentiæ est illas tantùm erogare: liberalitatis verò & erogare & accipere.

Et

Et liberalitas quidem versatur circa expensas mediocres: magnificentia verò circa magnas: vnde & μεγαλοπρέπεια dicitur.

Præterea, magnificentia liberalitatem præsupponit: hæc verò illam non item. Omnis enim magnificus liberalis est: non tamen omnis liberalis magnificus.

Quod est officium viri magnifici?

Qui magnificus dici vult, eum oportet esse omnis elegantiæ, atque splendoris artificem: qui decorum animo cernere possit, magnosque sumptus eleganter facere: vt fiat & sumptus opere, & opus sumptu suo dignum.

Deinde, facere sumptus non gloriæ causa, & vt opes suas ostentet: sed tantùm quia honestum & pulchrum est.

Præterea, pecuniam erogare cum voluptate: & quidem sine parsimonia: magisque curare, vt opus faciat quàm pulcherrimum: quàm vt id quàm minimo sumptu fiat.

Obseruare autem debet etiam præcepta liberalitatis: vt faciat sumptus, in quas res oportet, quantos, vbi, quomodo, cæterasque circumstantias obseruet.

Denique

Deniq; tantus debet esse decori artifex: vt eodem sumtu, opus longè magnificentius faciat & splendidius, quàm liberalis posset efficere.

Quibus autem sumptibus virtutem suam exercere debet?

Præcipuè quidem publicis sumptibus: quales sunt qui impenduntur, vel in honorem Dei Opt. Max. vt olim anathemata, sacrificia, ac templorum ædificia: vel etiam in Rempublicam, veluti cùm adornabantur olim ludi publici triremium, præfecturæ administrabantur, aut epulum ciuitati præbebatur.

Potest tamen magnificentia honestè quoq; exerceri priuatis sumptibus: quales sunt qui in vita semel fiunt: vt nuptiæ: & quibus de more studet tota ciuitas, vt fortè, equis alendis. Præterea dona & remunerationes: susceptiones item, ac dimissiones hospitum. Domus denique cuius species diuitijs conueniat.

Quæ in sumptibus Magnifico spectanda sunt?

Primùm, vt pecuniam in eas potiùs res impendat, quæ diuturnæ futuræ sunt. Viden-

Videntur enim tales ſumptus pulcherrimi. Deinde, vt in qualibet re decorum ſeruet, & ſplendorem ita affectet: vt non ſolùm ab alio ſuperari nequeat: verùm etiam opus ſumptu ſuo ſit dignum. Inprimis verò, vt opus propoſitum perſonæ ſuæ conueniat. Magnificentiam enim præſertim publicam, exercere non quiuis poteſt: ſed opulenti tantùm: & qui opes ſuas vel hæreditario iure poſſident: vel eas virtute ſua pepererunt: & ij quidem viri clari, ac vel genere, vel virtute, vel dignitate celebres.

Quomodo ſe gerit in ſumptibus hiſce, qui inſolens, ſeu ruſticus dicitur?

Hic ſplendorem præpoſterè, prætereꝗ; decorum affectat. Et in rebus quidem ſumptu dignis, aut nihil aut parùm impendit. In ijs verò quæ viles ſunt, & nullius momenti, ſumptus facit maximos. Idꝗ; non quòd honeſtum ſit: ſed tantùm vt oſtentet opes ſuas: ſperans ſe ob id hominibus admirationi futurum.

Quomodo ſumptus facit homo ſordidus?

Cùm ſumptus maximos fecerit: ſæpe in re parua decorū perdit ſumptuſꝗ;
omnes

omnes cunctanter facit: subinde spe-ctans, vt quàm minimum expendat. Pecuniam verò cum gemitu erogat: semper existimans se maiores sumptus facere, plusq; expendere quàm expendendum erat.

Quem vocas Magnanimum?

Qui cùm magnis sit dignus, magnis se dignum iudicat. Græci μεγαλόψυχον nominant.

Quas res tractat Magnanimus?

Quandoquidem magnis, imò maximis, se meritò dignum iudicat: oportet vt maxima quoque tractet. Est autem inter externa bona, quibus viros bonos dignos iudicare possumus, honor bonum maximum. Eum enim Dijs tribuimus. Et qui in dignitate sunt positi, ipsum imprimis sibi deposcunt. Præterea est rei præstantissimæ, virtutis scilicet, rerumq; præclarè gestarum præmium. Rectè ergo dixerimus magnanimum circa honores, & proinde etiam circa ignominiam occupari.

Quale est ingenium viri Magnanimi?

Verè magnanimus nunquam malus est. Omnis enim malus, aut ignauus, aut iniustus est. Et iniustus quidem ille

non poteſt eſſe: cùm nil tanti faciat, cuius gratia iuſticiam violare dignetur. At nec ignauus: cùm timiditas à viro magnanimo planè aliena ſit.

Cùm autem eum honore dignemur, quo proſequimur tantùm viros optimos: oportet eum ſyncere probũ eſſe, & virum virtutibus ornatiſsimum: qui non tantùm circa honores & ignominiam, cæteroſq; fortunæ caſus, inculpatè ſe gerat: verùm vniuerſis virtutibus ſit præditus, eaſq; ſingulas ingenti cum laude exerceat.

Qualis igitur eſt circa honores & ignominiam?

Magnos quidem honores, & hoſce à viris bonis delatos, iucundè accipit: tanquam debitum virtuti ſuæ præmium. Exiguos verò, aut ſi ab ignobili vulgo deferantur, omnino contemnit. Eodemque animo fert infamiam & ignominiam. Conſcius enim ſibi eſt, eam iure in ſe non cadere.

Qualis eſt in cæteris fortunæ caſibus?

Circa opes, potentiam, & omnem denique fortunã, tam proſperã, quàm aduerſam, ita ſe gerit: vt nec rebus ſecundis

dis nimiùm efferatur, nec aduersis frangatur animo. Cùm enim in honoribus non peccet, bonis nimirum omnium maximis: multò minùs circa cætera, quæ longè minora sunt, aliquid contra officium faciet.

Num verò prosperi successus non maiores animos faciunt?

Maximè faciunt. Externis enim bonis affluentes honorari solent: quò autem quisque honoratior est, eò etiam maiore animo est præditus.

Veruntamen (quod hîc prætereundum non est) qui prospera fortuna fruuntur, nullis interim instructi virtutib9 (quemadmodum improbi solent) vt plurimùm contemptores, & contumeliosi fiunt. Secunda namque fortuna vti nequeunt, interim tamen alijs antecellere se putant: ac inde non solùm ipsi nil rectè agunt: verùm etiam rectè agentibus obtrectare solent.

Cupio audire quomodo cæteras quoque virtutes exerceat: ac primùm quomodo viri fortis munus obeat?

Pauca tanti facit, vt propter ea sibi periclitandum putet: ideoque nec facilè se peri-

se periculis obijcit, nec etiam parua subit. Magnis tamen, vbi aut Religionis, aut Reipublicæ salus agitur, promptè se offert: & in ijs vitæ suæ nequaquam parcit: vt qui indignum putet, tantis bonis amissis, manere superstitem.

Quomodo viri liberalis munere fungitur?

In hoc quidem eo est ingenio, vt alijs quidem libenter benefaciat: beneficium verò accipere erubescat. Itaque acceptum beneficium maiore, quàm acceperat, mensura retribuit. Quibus etiam benefecit probè meminit: à quibus aliquid accepit non item. Atque illud libenter & iucundè audit: hoc verò audire molestum est. Denique, vt alijs libenter opem fert: ita vicissim nullius, aut vix alicuius, opem implorare dignatur.

Quomodo exercet modestiam?

Inter magnos quidem & honora viros, & ipse magnum se præbet: nec cilè cuiquam cedit: apud inferiores men magnitudinem suam dissimulat: lisq; se quantum potest accommoda

Honorata quoque loca, aut vbi primas tenent, non frequenter acced

ne vel à loco honorem petere, vel alijs submittere se videatur.

Tum in negocijs conficiendis non ambitiosè festinat: sed ea cunctanter expedit: nisi fortè res magna agatur. Siquidem ad magna tantùm natus est.

Quomodo humanitatem?

Manifestè & amat & odit. Fronte enim occultare sententiam, timidi proprium est. Nec ad alterius arbitrium viuere potest: nisi is fortè amicus sit. Id enim seruile esse putat, ac ad assentatores pertinere.

Quomodo candorem?

Mauult esse, quàm videri bonus: plurisque veritatem facit, quàm opinionem hominum.

Apertè etiam cuncta & agit, & loquitur: nisi fortè ignobile vulgus aliquid celet.

Neque crebrò de hominibus verba facit: nec enim illi curæ est, vt vel ipse laudetur, vel alij malè audiant.

Quomodo mansuetudinem?

Iniuriarum memor non est: sed illas potiùs contemnit, ac negligit.

Nec maledicit cuiquam, nisi fortè ob

ob acceptam contumeliam, pro honoris sui defensione, id facere necesse sit.

Quomodo erga rem familiarem affectus est?

Externorum bonorum non facilè quicquam admiratur. Nec enim aliquid est quod magni faciat.

Et propterea de humilibus rebus, ac ijs quæ ad quotidianum victum pertinent, non facilè queritur, nec etiam ob ea cuiquam fit supplex.

Honestum quoque vitæ genus, licet minùs lucrosum, pluris facit, quàm quoduis aliud quæstuosum, in quo turpitudo metuenda sit.

Quem vocas pusillanimem?

Qui cum magnis sit dignus, ijs tamen indignum se iudicat. Se enim suasq; virtutes ignorat: non quidem ex stupiditate: sed ex innata quadam ignauia. Qua etiam seipso deterior euadit. Ab honestis enim studijs & functionibus, quasi ad illas ineptus sit, se subducit: & bonis externis, quorum plurima consequi posset, si ad res præclarè gerendas animum erigeret, seipsum præter meritum defraudat.

Quod est inflati ingenium?

Inflatus siue superbus: planè stolidus

eſt: ſeq; ipſum manifeſtè ignorat. Sæpè enim res maximas aggreditur: quaſi ad illas gerendas præ cæteris idoneus: quibus tamen deinde ſuccumbit, ſuamque ſtulticiam cunctis prodit.

Corporis etiam ornatu cultuq; nimis ſuperbit: opeſq; ſuas vbique oſtentat: ac ſæpe multumq; de ſe prædicat: ſperans ſe inde hominibus eò præſtantiorem, maioremq; viſum iri.

Cap. IIII. *Quæ iam virtus occupatur in mediocribus honoribus?*

Illa quidē, vt ſuprà dixi, nomine caret: poſſet tamen docendi gratia modeſtia dici: eiuſque exceſſus ambitio, defectus verò honoris contemptus appellari.

Quid eſt modeſtia?

Eſt virtus qua mediocres honores, vnde, quomodo, quantum & quando oportet, expetimus.

Quid eſt ambitio?

Eſt vitium eorum qui honores petunt, vnde non oportet: aut modo illegitimo: aut illis impenſiùs ſtudent, quam honeſtum eſt.

Quid honoris contemptus?

Vitium, quo nec ex honeſtis rebus honorem quærimus: Græcè ἀφιλοτιμία dici poſſet.

Qui

Qui fit, quòd cùm vitia vituperentur, aliquando tamen ambitiosos, interdum verò etiam honorum contemptores, commendemus?

Huius duæ causæ sunt. Altera quidem ἀνωνυμία medij: quod cùm nomine careat, fit, vt aliquando ambitio vocetur: aliquando honoris contemptus: & sub hisce nominibus à nobis commendetur. Altera verò ὁμωνυμία ipsius excessus. Ambitiosus enim dicitur, aliâs qui honorum est magis appetens quàm vulgus: quem commendamus: aliâs verò qui honorum est studiosior quàm decet: cuius respectu laudamus eum, qui honorum contemptor est.

Mansuetus, quali ingenio est preditus? Cap. V.

Hic ita moderatur iram, vt non irascatur, nisi iustas ob causas: & quidem, quibus, quando, quamdiu, & quemadmodum irasci, honestum est. Non enim à perturbatione rapitur: sed rectæ rationi paret: & accepta iniuria, ad veniam dandam propensior est, quàm ad vindictam expediendam.

Quos nimis patientes nominas?

Qui nec quibus, nec quo modo, nec quo

 tem-

tempore, nec quas ob causas, irasci meritò debebant, ira commoueri possunt.

Quos vocas iracundos?

Homines iræ suæ plus æquo indulgentes: vt qui irascuntur sæpe ob res irâ non dignas: & quidem ijs, quibus irasci non decet: aut vehementiùs, aut citiùs, quàm irasci conuenit: aut etiam diutiùs iram tenent, quàm pro offensæ merito.

Quot sunt iracundorum genera?

Primùm quidem inuenias, qui citò irascuntur, & quidem quibus hominibus, ac propter quas causas non oportet: & vehementiùs quàm oportet: quod tamen in illis est optimum, postquam iram effuderint: redduntur placabiles: quos generis nomine iracundos dicimus.

Deinde, sunt qui non ita facilè irascuntur: sed semel ira commoti difficulter placantur. Vltionem enim, quæ iram placare poterat, suspendunt: & quod pessimum in illis est, offensam animo conceptam, quam excusatione diluere poterant, dissimulant, ac intra se coquunt. Quos amaros vocant.

Tum quidam non solùm irascuntur, ob quæ non deberent: verùm etiam vehementiùs & diutiùs, quàm conuenit: quippe

quippe qui non nisi interueniente pœna, aut etiam supplicio, recõciliari possunt. Et hos asperos, ac sæuos nominamus. Cap. VI.

Quem virum humanum nominas?

Qui quæ in conuictore probanda sunt probat, quemadmodum oportet: & in illis ipsi quoque lubens obsequitur, ac morem gerit. Quæ autem in illo probanda non sunt: aut non probat, aut etiam amicè reprehendit.

Quomodo erga conuictorem se gerit, qui humanus est?

Is ante omnia dat operam, ne conuictorem offendat: sed potiús, quoad eius fieri potest, illi iucundus sit. Vbi verò sine dedecore aut damno, vel suo, vel conuictoris, id facere nequit: mauult honestè & vtiliter esse molestus, quàm incommodè aut turpiter obsequi. Præterea, in conuictu respectum personarum habet. Aliter enim se gerit erga superiores, & qui in dignitate sunt positi: aliter erga plebeios: & aliter erga notos, aliter erga ignotos: vbi cuiq; id quo dignus est tribuit.

Tùm licèt per se iucundus esse velit, ac nequem offendat, omni modo caueat: ea tamen quæ inde euenire possent, sem-

per conſiderat. Itaq; conuictorem interdum offendere, & contriſtare non dubitat: ſi commodum, honeſtatē, aut voluptatem maiorem, inde ſecuturam videt.

Quomodo ſe gerunt in conuictu, qui modum excedunt?

Hi ferre poſſunt, & pati quoslibet. Et vt illis iucundi ſint, cuncta illorum probant, aduerſantur in nullo. Putant enim conuictorem nullo modo offendendum: ſed ad voluptatem eius dicenda & facienda quælibet.

Et hoc quidem alij faciunt tantùm, vt placeant: qui ἄρεσκοι, id eſt, blandi dicuntur, & huc propriè pertinent. Alij verò vt inde conſequantur aliquod commodum: qui propriè κόλακες, id eſt aſſentatores, dici ſolent.

Quos moroſos nominas?

Qui nobis ſemper contrarij ſunt: nec quicquam probant, niſi quod, ipſi fecerint: nec etiam quenquam tanti faciunt, vt eum offendere vereantur. Græci δυσέριδας & δυσκόλους nominant.

Cap. VII. *Quem vocas virum candidum?*

Qui & vita, & oratione apertus eſt, & verax: ac ea quæ non habet, ſibi non arrogat: quæ autē habet, ea nec verbis adauget.

auget, nec nimis dissimulat: sed id quod res est modestè fatetur: idq; solius veritatis studio.

Est autem vir syncerè probus. Cùm enim mendacium dicere caueat, vbi falsum dicere nil refert: multò magis cauebit in contractibus, iudicio, & hisce similibus casibus, vbi mendacium cum iniusticia coniunctum est.

Quos arrogantes vocas?

Qui res præclaras quas non habent, aut sanè maiores, quàm habent, sibi vendicant. Quorum alij quidem id faciunt honoris & gloriæ studio: qui sibi ea sumunt, ob quæ homines laudamus, aut vt beatos admiramur.

Alij verò inde quæstum & emolumenta quærunt, qui sibi arrogant artes lucrosas, & eas quidem, in quibus eorum ruditas latêre potest: quales sunt Medicina, Sophistica, artes μαντικαί.

Alij demum id faciunt tantùm ex vanitate, & quia mentiri iuuat: homines non ita mali: cùm vanitate sua nemini noceant: vani tamen sunt, & ob id viri boni appellari non possunt.

Quos vocas dissimulatores?

Qui res laude dignas quæ ipsis in-

ſunt, aut ineſſe ſibi negant, aut verbis extenuant.

Et horum aliqui res quaſdam exiguas, quas ineſſe manifeſtum eſt, verbis eleuant: tantum vt modeſti videantur, aut ſibi maiorum conſcij: qui ab arrogantibus non multum diſcrepant. Quidam verò ſua, quæ non ita nota eſſe putant, diſsimulant, aut eleuant, tantùm vt iactātiam fugiant, qua conuictoribus moleſti eſſe nolunt. Et hi propriè diſsimulatores dicuntur: viri modò dictis multò meliores & ciuiliores.

Cap. VIII. *Quos comes, ſeu facetos nominas?*

Qui in iucundioribus amicorum congreſsibus, tum ciuiliter & concinnè iocari, tum iocantes audire & excipere poſſunt: in ſe dicta, vel comiter eludendo, vel etiam ſalſè retorquendo.

Qualiter ſalibus vtendum eſt, vt facetus dici poßim?

Primùm, ijs vtendum puto, qui ingenuum bonumq; virum decent, hoc eſt, liberalibus & eruditis. Obſcæni namq; ac petulantes, nec proferendi, nec audiendi ſunt.

Deinde, opera danda ne conuictor ſalibus tuis offendatur, ſed oblectetur potiùs: id quod conſequi poteris, ſi vel

ex

ex sermonibus eius notâris, quibus ipse gaudeat: vel ex te ipso coniecturam feceris, quid ille ferre possit: inprimis verò si à scommatis abstinueris. Est enim scomma species quædam conuitij, quod etiam legibus est prohibitum.

Quomodo scurra iocari solet?

Is nimia iocandi cupiditate flagrat: & vt risum moueat, nec sibi parcit, nec alijs: ac per iocum talia sæpe profert, qualia vir ciuilis non modò non diceret, verùm audire quoque erubesceret: homo odiosus, & honestis conuiuis propè intolerabilis.

Quem agrestem vocas?

Qui nec ipse aliquid lepidè salseq; dicere nouit, nec alium ita iocantem æquo audit animo. Alij insulsum vocant.

Num etiam verecundia, in virtutum numero habenda est? Cap. IX.

Virtus, vt suprà audiuimus, est habitus. Verecundia verò magis videtur affectus quàm habitus. Dicitur enim metus quidam infamiæ: & vt cæteri affectus, cum quadam corporis mutatione & rubore vultus oboritur.

Et, si virtus esset cuiuis ætati competeret, & maximè senili: patet autem

eam tantùm decere iuuenes: quos à peccatis, quibus obnoxij sunt, deterret. Adultis enim non conuenit: cùm oboriatur ob admissam turpitudinem; à qua adulti alieni esse debent.

Erubescimus autem opinione quoq; turpibus, à quibus vir bonus non alienus est?

Certè & ab his alienus esse debet: & sibi cauere, non à malo tantùm, verum etiam à specie mali: vt conscientiæ pariter & famæ consulat.

Cum autem pudor, dolor sit ex admißis peccatis obortus: videtur virum bonum non dedecere?

Imò ob hoc ipsum dedecet. Hinc enim patet pudorem ἐξ ὑποθέσεως, id est, ex conditione tantùm esse bonum: si nimirum peccatum aliquod spontaneum præcesserit. Viri enim boni est, nullum vnquam peccatum sponte admittere: Ideo nec vnquam pudore suffundi.

Si impudentia mala est: sequitur certè pudore suffundi bonum esse?

Consequentia non valet, propter modò dictam ὑπόθεσιν. Si enim propter solam peccandi cupiditatem, nec continentia virtus, nec continens vir bonus dicitur:

dicitur: multò minùs pudor virtus dicetur: aut pudore confusus vir bonus: cùm in eo cupiditas in actum eruperit: & peccatum iam verè admissum sit.

Liber quintus.

Quid est iusticia? Cap. I.

Est habitus, quo homines apti efficiuntur, & idonei ad agendum quæ iusta sunt: eademq; & agunt & volunt. Græcè δικαιοσύνη dicitur.

Quid est Iniusticia?

Græci ἀδικίαν vocant: estq; habitus, quo iniuriam facimus hominibus, & iniusta volumus.

Quot sunt species iniusticiæ?

Duæ, Altera vniuersalis: qua violantur leges publicæ, & contra earum præcepta flagitiosè viuitur: quam παρανομίαν vocant. Altera particularis: qua in specie de externis bonis nobis plus vsurpamus, de malis verò minus, idq; cum aliorum iniuria; Græcè aliàs ἀνισότης, aliàs πλεονεξία dicitur.

Quot sunt iusticiæ species?

Totidem. Altera enim particularis est:

est: qua suum cuique tribuimus, nobis verò de externis vel bonis vel malis: nec plus nec minus vendicamus, quàm nobis iure debetur: Græcè ἰσότης dicta.

Altera vniuersalis siue legitima: qua vitam & mores instituimus secundùm leges: & ex ipsarum præscripto, vniuersas virtutes colimus.

De quibus rebus publicæ leges præcipiunt?

Primùm de ijs rebus quæ communiter prosunt vel vniuersis, vel optimatibus, & ijs, qui rerum potiuntur: & aut virtutis merito, aut alio nomine, Reipub. personam sustinent.

Deinde etiam de ijs quæ ad publicam disciplinam pertinent, cunctis ciuibus obseruandam: qualia sunt, quæ mansuetudinis sunt, fortitudinis, temperantiæ: reliquarumque virtutum moralium.

Et hinc in genere legitima videntur: quæ vel ad publicam honestatem morum, vel ad Reipublicæ salutem, opes, libertatem, aut dignitatem pertinent.

Vtra iusticia est præstantior?

Iusticia vniuersalis siue legitima. Ea enim perfecta virtus est: vt quæ non solùm vniuersas morum virtutes in se cótinet:

tinet: verùm etiam vſum præſtat earum ſingulis: & quod maius eſt, eius beneficio non nobis ſolùm: verùm alijs quoq; boni ſumus.

Quomodo ergo differt iuſticia hæc à virtute morali?

Re quidem & ſubiecto idem ſunt: ratione tamen inter ſe diſtinguuntur. Virtus enim cùm abſolutè conſideratur, vt animi quidam habitus: virtus dicitur. Cùm autem alterum reſpicit, & erga alterum exercetur: iuſticia dici ſolet.

Num etiam à particulari iuſticia diſtinguitur? Cap. II.

Maximè. Siquidem & iniuſticiæ ſpecies illis oppoſitæ παρανομία & πλεονεξία, hoc eſt, legum tranſgreſsio, & iniquitas inter ſe differunt.

Atqui putabam eas idem eſſe?

Si idem eſſent, certè quicunq; ex aliquo ſuprà commemorato vitio leges tranſgrederetur: ſimul etiam πλεονεξίαν committeret: & viciſsim omnis πλεονεξία ex aliquo prædicto vitio leges violaret. Veruntamen ex ſuprà explicatis vitijs multi in leges peccant, ſine πλεονεξίᾳ: vt cõuitiatores, ebrioſi, prodigi: & viciſsim πλεονεξία exercetur ſæpe ſine vllo morali vitio.

li vitio, Auaritiam enim(quam obijcere posset)ab iniusticia suprà distinximus.

Et quæ idem sunt, eundem quoque finem habent: his verò diuersi fines sunt sæpe in eodem peccato: vt in vno eodemq́ adulterio, intemperans, qui παράνομος est, voluptatem: πλεονέκτης verò, lucrum spectat.

Deniq́, nisi differrent: iniuria iniqui lucri referri semper posset ad aliquod morale vitium. Eodem enim refertur etiam legum transgresſio. Videmus autem, eam nec ad intemperantiam, nec ad timiditatem, nec ad iracundiam, nec denique ad vllum aliud referri posse. Itaq́ satis patet, πλεονεξίαν à παρανομίας distinguendam esse.

Quomodo ergo differunt modo dictæ iusticiæ species?

Quemadmodum pars & totum. ἰσότης enim sub legitima comprehenditur: quemadmodum & πλεονεξία sub παρανομίᾳ. Et ἰσότης quidem occupatur tantùm in moderanda voluptate, quæ è lucro concipitur: Legitima verò, siue vniuersalis, in omnibus moralium virtutum materijs: adeoq́ in cunctis, quibus viri boni munere fungimur.

Quo-

Quotuplex est particularis iustitia?

Hæc vel occupatur in distributione præmiorum, honorum, pecuniæ: item laborum, onerum communium, pœnarum, & hisce similium: & Græcè διανεμητικὴ, id est, distributiua dicitur. Vel circa contractus versatur & commutationes, quas corrigit & emendat. Vnde aliâs συναλλακτικὴ, aliâs διορθωτικὴ, hoc est, commutatiua & correctiua: vocari solet.

Contractus quotuplices sunt?

Quidam voluntarij sunt: vt, venditio, emptio, mutuum, fideiussio, commodatum, depositum, locatio, conductio. Quidam inuiti: & horum alij, clandestini: vt furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, seruorum seductio, dolosa cædes, falsum testimonium. Alij verò violenti: vt verbera, vincula, mors rapina, mutilatio, conuitium, contumelia.

Quomodo definis contractus voluntarios?

Voco voluntarios, quorum principium est voluntarium: hoc est qui tum, cum primùm instituerentur, spontè fiebant.

Num vt cætera morum virtutes, ita & iustitia hæc, mediocritas dici potest? Cap. III.

Maximè. Omne siquidem æquale est

medium, & quæuis æqualitas mediocritas quædam est. Ius autem est æquale: & iusticia æqualitas. Quod enim iniustum est: iniquum & inæquale dicitur. Itaque & ius & iusticia in mediocritate est posita.

Qualis est ista mediocritas?

Videtur in proportione consistere. Vt enim omnis proportio, ad minimum quatuor terminis constat, eandem æqualitatem inter se habentibus: ita quoque ius, quo vel distribuimus, vel commutamus aliqua. Nam quæcunque res, vel distribuuntur, vel commutantur: ad minimum duas esse oportet, & ad minimũ duas personas, quæ res aliquas inter se vel distribuunt, vel commutant: & in illis etiam esse eandem æqualitatem. Aliter enim, cùm æquales inæqualia, aut inæquales æqualia consequuntur: querelæ statim oriuntur & pugnæ. Et in distributione quidem, arbitramur agendum pro dignitate: quod autem alicui pro dignitate tribuitur id ei conuenire, hoc est, ipsi æquale esse omnibus notum est.

Cùm autem proportio alia coniuncta sit alia disiuncta: vtram obseruat iusticia?

Distributiua quidem obseruat disiunctam.

iunctam. Vt enim in illa quatuor termini expreſsè ponuntur: ita quoq; in diſtributione quatuor deprehendes. Oportet enim ad minimum duas perſonas eſſe: inter quas aliquid diſtribuitur: ac inde rei diſtribuendæ duas partes fieri.

Quæ verò correctiua dicitur ſæpè etiam coniunctam obſeruat. Vt enim in ea expreſsè tantùm tres ponuntur termini: quorum medius bis conſideratur, ac duobus valet: ita ſæpè duo contrahentes, de vna tantùm re litigant: vt de vno depoſito, vno limite, aut etiam de vno iure: quod cùm medium inter lucrum & damnum ſit (quemadmodum mox audies) ad vtrumq; illorum comparatũ, cõiunctam ſemper proportionem efficit.

Quid est διανεμητικὴ, ſeu diſtributiua iuſticia?

Eſt mediocritas quædam, qua eiuſdem Reipublicæ ciuibus, vel præmia conferuntur, vel commoda publica diſtribuuntur, vel onera imponuntur, vel pœnæ infliguntur pro delictis: aut etiam inter priuatos aliqua diuiduntur, idq; Geometrica proportione, hoc eſt, prout quiſq; dignus fuerit.

Cur eam Geometrica proportione definis?

Quia vt illa in terminis suis, non distantiarum, sed rationum æqualitatem respicit: ita quoque iusta & æqua distributio, non partium distribuendarum æqualitatẽ spectat: sed rationem, seu proportionem quam ad ipsas personas habent, quibus fit distributio, quarum singulis magnitudine respondent: vt quantò quisq; dignior fuerit, tantò maiorem rei distribuendæ partem accipiat.

Quomodo ergo instituitur iusta distributio?

Res distribuenda ita diuiditur: vt quam rationem habent inter se personæ, quibus distributio fit: eandem habeant rei distribuendæ partes. Vt, si ex duobus alter duplo præstet alteri: altera pars quoque duplo sit maior. Hinc enim quam rationem præstantior ad maiorem partem habuerit: eandem quoque inferior habebit ad partem minorem: ac sua quisque deprehendetur æquè dignus. Ac inde distributione facta, quisq; cum sua parte eandem habebit proportionem ad alterum, quam ante distributionem & ipsi inter se, & partes rei distribuendæ, habuerunt. Et sic eueniet quod Aristoteles dicit: in Geometrica proportione fieri, vt eadem sit ratio totius

tius ad totum, quæ partium inter ſe eſſe deprehenditur.

Cuperem id mihi exemplo declarari?

Contulêre duo pauperes Sabaudi pecuniam ſuam in ſortem communem, negociandi cauſa: alter duodecim florenos, alter verò ſex: vt ſumma ſortis totius octodecim florenorum fuerit. Pòſt autem lucrati ſunt, fauente fortuna, ſex florenos. His ergo lucrum iſtud iuſtiſsimè ſic diſtribuetur: vt prior quatuor florenos accipiat poſterior verò duobus contentus ſit: idq; ex modò dicta proportione.


Quam enim rationem habent inter ſe ipſorum ſortes: eandem habent & partes lucri, duplam nimirum.

Et permutata proportione, quã rationem habet ſors prioris, ad lucri partem maiorem; eandem habet & ſors poſterioris, ad lucrum minus, triplam ſcilicet.

Itaque, ſi ſuam cuique ſortem cum competente lucro reddidero: prior ſedecim florenos habebit, poſterior octo.

Et ita rurſus erit inter illos dupla proportio, qualis ab initio inter illorum pecunias, & pòſt inter vtriuſque lucrum fuerat.

Ecce.



Ipsa distributa.

Vt ſcias in hoc caſu, quantum cuiq; de lucro attribuendum ſit: vide modò, quam rationem habeat tota ſors, ad totum lucrum. Eandem enim in ſpecie ſors vtriuſq;, ad lucrum ſuum priuatum, rationem habebit. Et hinc diſtributionem inſtituens citò te expedies. Nam in hoc exemplo, quam rationem habent octodecim ad ſex: eandem habent duodecim ad quatuor, & ſex ad duo, triplam

plam scilicet. Et huc Aristotelem quoq; respicere puto: cùm totius ad totum eandem rationem esse dicit in proportione Geometrica, quam partes inter se habent.

Num & in cæteris distributionibus proportio ista obseruari debet?

Omnino. Quò maior enim est cuiusq; dignitas & præstantia: eo maiora illi debentur priuilegia: quoq; maiora sunt alicuius merita in Rempub. eò maiora ipsi præmia conferenda sunt. Et contrà, quò quisq; sceleratior est, eò maioribus est & grauioribus pœnis ac supplicijs afficiendus.

Quæ est ista dignitas, quæ in honoribus & præmijs conferendis respicitur?

Eam alij libertate definiunt, vt qui vtuntur forma Reipublicæ populari: alij opibus, aut nobilitate generis, vt qui paucorum dominatu reguntur: alij virtute, vt qui degunt sub optimatibus. In qualibet enim ciuitate, eo potissimùm definitur hominis dignitas, quod homines præ cæteris admirari solent.

Quid iam vocas in distributione iniuriam?

Quandò in præmijs conferendis, aut infligendis pœnis, dicta proportio negli

gitur: id est, quando distributio non fit pro dignitate ac meritis personarũ: sed vel æqualib⁹ inæqualia dãtur, vel inæqualibus æqualia. Vbi semper iniuriam patitur, qui vel de bonis minus, vel de malis plus quàm commeruerat accipit.

Cap. IIII. *Quid interest inter distributiuam iusticiam, & eam qua in contractibus corrigendis occupatur?*

Distributiua quidem, vt modò dictum est, vtitur proportione Geometrica, & personam respicit. Correctiua verò in commercijs æquandis eam negligit. Si enim vllius hominis personam respiceret, haberet certè respectum viri boni: hunc autem planè non respicit. Iudici enim perinde est, siue Christianus Iudæum, siue Iudæus Christianum fraudauerit.

Quid est correctiua iusticia?

Est inter lucrum & damnum medium quoddam, Arithmetica proportione constans: quo in contractibus tam inuitis, quàm voluntarijs, suum quisque consequitur.

Estné & hæc iusticia, in mediocritate posita?

Non minùs certè, quàm distributiua.

Eſt enim inter plus & minus quædam æqualitas. Omnis autem æqualitas mediocritas eſt.

Cumq́ litigantes iudicis implorant iuſticiam: nil aliud petunt quàm medium: ideoq́ illum aliquibus in locis μεσόδιον, id eſt mediatorem, vocant.

Et iudex iuſticiam adminiſtrare volens, hoc ſolùm agit, vt contractus iniquos ad æqualitatem reuocet: haud ſecus, ac ſi quis in linea inæqualiter diuiſa, auferat maioris partis exceſſum, & eo minoris defectum ſuppleat.

Cur autem hanc iuſticiam Arithmetica proportione definis?

Quia ſicut in Arithmetica proportione non rationum, ſed diſtantiarum notatur æqualitas: & mediũ eius tot numeris ſuperatur ab altero extremo, quot numeris alterum ſuperat: ita quoq́ hoc ius in contractibus corrigendis agit. Non enim contrahentium perſonarum rationem habet: ſed ſpectat nocumenti differentiam & magnitudinem: cuius ratione à damno alterius & alterius lucro æqualiter diſtat. Quantum enim alteri per iniuriam decedit: tantùm ſemper accedit alteri. Et iudex commercia reuocaturus ad medium, hoc ſolum agit,

vt contrahentium partes rursum æquales faciat.

Cuperem hoc exemplo declarari?

Anno superiori, mutuò dederam cuidam vinitori decem florenos: ea conditione, vt illos sequenti autumno vino persolueret. Misit autem mihi proximis vindemijs, vnam tantùm vini vrnam: quæ nunc quidem octo florenis emitur. Itaq; patet me duobus florenis defraudatum: illum verò totidem lucratum esse: & me quidem nunc tantùm octo habere, illum verò duodecim. Vbi decem floreni, quibus primùm contraxeramus & in quibus consistit huius contractus medium & æquitas, à meo damno & lucro illius, æqualiter distantes, Arithmeticum illud medium repræsentant, vt: 12. 10. 8.

Quomodo autem inæqualitas hæc ad medium reducitur?

Iudex, vt contrahentium partes æquales reddat, eum qui iniuriam fecit tot partibus mulctat, quot ipse medium excedit: ac eas vniuersas iniuriam passo attribuit. Itaq; si modò dictum vinitorem accusarem: cogeret illum iudex vt duos florenos, quos præter æquum

posſidet,

posſidet, mihi redderet. Ita enim vterq; decem florenos poſsideret: Nec ego de damno conqueri, nec ille iniuſto lucro gaudere poſſet. Vt:

	12.	10.	8.	
ſubtrahe	2.		2.	adde.
	10.	10.		

Quid ſentis de iure Talionis?

Talionem Pythagoræi quidem putabant ſimpliciter ius eſſe. Dicebant enim id eſſe ius abſolutè: ſi quis quod alteri feciſſet, viciſsim ab altero pateretur: Veruntamen ſi ſimpliciter ius eſſet; tum aut ad ius diſtributiuum, aut ad correctiuum accommodari poſſet. Nullum enim eſt tertium. Manifeſtum verò eſt, quód ſimpliciter vſurpata, ab vtroq; diſcrepet. Diſtributiuum enim verſatur circa communia partienda, non priuata commutanda: & habet reſpectum perſonæ, vt modò dixi, Correctiuum verò etſi per ſe perſonam non reſpicit: ſi tamen alicuius perſona læſa fuerit, ad examinandam nocumenti magnitudinem, perſonam læſi conſiderat. Cap. V.

Præterea, in pœnis infligendis ob peccata, non tam peccatum ipſum ſpectat, quàm

quàm peccantis animum. Quæ cùm talio, simpliciter vsurpata, negligat; neutri iuri competet: ideoq; nec ius dici merebitur.

Num ergo putas, Talionem in ciuitate negligendam esse?

Nequaquam. Retributio enim ciuitatem conseruat: idq; facit non ea solùm quæ bonorum est: qua cessante etiam bonorum communicatio desineret: verùm etiam retributio malorum: qua neglecta certissima sequeretur seruitus, & nobis cuncta mala patienda essent. Ad mala autem propulsanda, & communicanda bona, omnes societatem colimus.

Quomodo igitur talio instituenda est, vt ius dici posit?

Oportet, vt reuocetur ad proportionem. Cùm enim ciuilis societas non ex agricola & agricola constet: sed ex agricola & sutore: ideoq; ex diuersis & inæqualibus hominum generibus: euadit etiam diuersarum & inæqualium rerum permutatio, & compensatio. Quæ autem inæqualis precij sunt: vt iustè permutentur, ante permutationem inter se comparanda, & ex propor-

tione

tione quam inter ſe habent, æquanda ſunt: ita quidem, vt quot vicibus hoc illud bonitate ſuperârit: tot numeris viciſsim illud hoc excedat: & alterum alterius precium numero compenſet. Aliâs enim nec æqua permutatio erit, nec ſocietas inter homines conſtare poterit.

Da huius exemplum?

Sutor & agricola cùm habeant diuerſas, & propterea inæqualis precij merces: agricola quidem frumenta: ſutor verò calceos: oportet, vt ante permutationem, merces inter ſe comparent: ac inde illas inter ſe æquales faciant. Cùm enim medimnus frumenti, par calceorum tribus vicibus ſuperet: oportet eum non vno, ſed tribus calceorum paribus permutari.

Et hoc quoque fiet in compenſatione malorum. Si enim ruſticus colaphum infregerit viro nobili: ruſticus non vno colapho, nec ſimplici mulcta punietur: ſed nobilis cum illo comparabitur: cumq; conſtiterit, quantò ille præſtet: ac inde quantò pluris illata ignominia facienda ſit: ruſticus tot vicibus mulctabitur, quot nobilis illi præſtiterit.

ſtiterit. Et hæc demum æqua compenſatio, & iuſta talio dici poterit.

Agricola. Sutor.



Speltæ medimnus. 60. cr.

Par calceorũ. 20. cr. conſtans, triplicabitur.

Qua menſura, in proportione quærenda, merces æſtimantur?

Cùm res permutandæ tam diſpares, tamq́; diuerſæ ſint: aptior illis menſura adhiberi non poteſt, quàm vſus & indigentia. Hæc enim cuncta continet: nec ſolùm ad contractus impellit: verùm etiam precia rerum æſtimat: cùm tantò precioſior quælibet res habeatur, quantò magis homines illa indigent.

Si autem alter alterius mercibus non indigeret: vt, ſi agricola non indigeret calceis: num ceſſarent contractus?

Cùm indigentiæ non ſemper locus ſit, hoc eſt, homo non quouis tempore quibuslibet indigeat, ſucceſsit illi nummus, tanquam vicarius quidam. Cùm enim is, qui nunc non indiget, in futu-

rum aliquando indigere posſit: datur illi loco mercis numus, quaſi ſponſor interpoſitus: vt, cùm aliquando indiguerit per eum deſideratam mercem accipiat.

Non ſolùm autem futuræ indigentiæ ſponſor eſt: verùm etiam in æſtimandis æquandiſq; mercibus, præſentis indigentiæ ſeu vſus interpres. Eum enim in mercibus permutandis certo precio deſcribit, vt inde proportio inter eas ſine negocio deprehendatur. Cùm enim medimnus Speltæ æſtimetur 60. cruciatis, par calceorum verò cruciatis 20. manifeſtum iam eſt, ſpeltam ad calceos proportionem triplam habere. Itaq;, vt iuſtè permutentur, tribus calceorum paribus vnum ſpeltæ medimnum compenſari debere.

Quò melius hanc diſputationem intelligam: dic mihi, quo iure iuſticiam definias? Cap. VI.

Iure ciuili. Si quidem hoc ſolum abſolutè & ſimpliciter ius dicitur. Herile enim, paternum, & maritale, ſecundum quid, ac tantùm per huius ſimilitudinem, iura dici merentur.

Quid eſt ius ciuile?

Quod valet inter homines liberos & æquales, vel proportione, vel numero: eoſq;

eosq́; vitæ societate inter se coniunctos propter αὐτάρκειαν. Hoc est, vt suo Marte, & mala à se propulsare, & res ad vitam bene tuendam necessarias, obtinere posśint.

Num verò ius istud tantùm inter liberos locum habet?

Certè qui sub hoc iure viuunt, illis nemo hominum dominatur: sed vel sola lex vel princeps qui legibus astrictus est. Quibus autem nemo dominatur, eos oportet esse liberos.

Cumq́; ius hoc locū habeat tantùm, vbi locum habet lex: lex autem, vbi est iniusticia: iniusticia verò, vbi fiunt iniuriæ: certum est iniurias fieri tantùm, inter liberos & æquales. Inter hos enim solos potest aliquis de bonis plus, de malis verò minus, quàm æquum est sibi vsurpare.

Cur autem ius herile, paternum & maritale, non simpliciter ius esse videtur?

Quia, vt modò dictum est, ius locum habet, vbi locus est legibus: in his autem societatibus leges non sunt. Lex enim tantùm locum habet inter æquales, id est, inter quos est dominandi parendiq́; vicisśitudo.

Præ-

Præterea, vbi ſimpliciter ius eſt: ibi quoq; locum habet iniuria. Sed inter herum & ſeruum, patrem & filium, maritum & vxorem, locum non habet iniuria. Seruus enim eſt heri poſſeſsio: filius, dum minorennis eſt, patris ſui quaſi pars: vxor autem mariti ſui dimidium. Se verò ac ſuos nemo lædere præſumitur, niſi manifeſtè inſaniat.

Ius ciuile quotuplex eſt? Cap. VII.

Aliud eſt naturale: vt quod Natura indidit vniuerſis mortalibus: quodque per ſe valet, non autoritate Principum, quibus ita viſum ſit. Aliud verò legitimum, quod ius ſcriptum vocant: vt quod non naturâ conſtat: ſed inſtituto & autoritate hominum: & propterea nec ſemper, nec vbiq; valet: ſed pro ingeniorum, locorum, Rerumq; publicarum differentijs, mutari ſolet.

Videtur autem nullum eſſe naturale ius. Cùm enim naturalia immutabilia ſint: iura omnia mutari videmus?

Iura quidem, quæ nos naturalia vocamus, per ſe mutari nequeunt. Apud Deum enim qui eſt τὸ αὐτοδίκαιον, & notitias iſtas nobis impreſsit: idem ſemper iuſtum eſt, idemque iniuſtum perpetuò.

Quòd autem alijs aliud videtur esse ius, & alibi aliud iniustum esse putatur: id hominum vitio fit, qui illud naturæ dictamen non satis intelligunt: aut aliter, quàm oportebat, accipiunt.

Nec per omnia verum est, naturalia cuncta immutabilia esse. Quæ enim ratione formæ insunt, mutari quidem non possunt: quæ verò ratione materiæ, illa certè mutantur. Et ita naturæ præcepta, in genere considerata, idem semper sonant. Cùm autem ad speciem descenderis, & materiæ præsenti accomodâris, vbi iam σοχασμῷ vti oportet: mirum non est, si alij aliud visum fuerit.

Quomodo ergo ius naturale à legali dignoscam?

Quod naturale est, per se valet, licèt nemini hominum ita videretur. Legitimum verò tantùm authoritatis habet, quantùm illi tribuit consensus hominum, & quoad Reipub. tuendæ ꝓdest.

Præterea, ius naturale valet apud omnes sanæ mentis homines, idemq́ue videtur vniuersis. Legitimum verò non apud omnes idem est: sed sicut alibi aliæ mensuræ sunt: ita & aliæ leges, quæ pro ratione locorum, Rerumq́ue publicarũ mutari solent.

Nam,

Num, quicunq; iusta aut iniusta agit, etiam iustè & iniustè agere dicendus est? Cap. VIII

Qui quod iustum aut iniustum est sponte agit, is iustè & iniustè agere verè dicitur. Qui autem tale quid agit inuitus: hoc est, vel ignorantia facti, vel naturæ necessitate, vel alterius violentia (de quo etiam libro tertio dictum est) is per accidens tantùm iustè aut iniustè agere dicendus est.

Quò melius intelligam: dic, quot modis nos homines lædere soleant?

Tribus modis. Vel enim ex ignorantia lædunt, vel ex affectu & ira, vel ex malitia.

Quid vocas damnum ex ignorantia datum?

Quando is qui lædit, vel nescit se hunc lædere: vel ignorat se hoc modo lædere: vel non animaduertit instrumentum, quod tractat, ad lædendum aptum esse: vel cum eo agit non lædendi animo. Et hoc læsionis genus propriè ἁμάρτημα dicitur: cùm tamen inuitum sit, nec iniuria vocari, nec ex eo aliquis iniustus dici potest.

Damnum hoc quotuplex est?

Hoc damni genus vel inopinatò infertur: vt cùm quis lædit ex ignorantia ali-

cuius circumſtantiæ, aut caſus, quem nemo hominum præuidiſſet: quod propriè ἀτύχημα dicitur: vel non inopinatò infertur: attamen ſine dolo malo. Vt cùm quis lædit ignorantia rei, quam circumſpectus aliquis animaduertiſſet. Et hoc generis nomine ἁμάρτημα vocant.

Quid vocas damnum ex affectu datum?

Cùm quis ſciens quidem lædit, attamen non conſultò: ſed ex ira, alijſúe affectibus, qui neceſſarij & naturales hominibus accidunt: vt mortis metus, dolor ex cruciatu corporis, &c. Et hoc damni genus ἀδίκημα quidem, id eſt, iniuſtè factum dicitur: cùm tamen conſultò & malitiosè non fiat, ex eo iniuſtus dici nemo poteſt.

Quid vocas damnum factum ex malitia?

Cùm quis de induſtria & conſultò lædit: vel in diſtribuendis rebus proportionem, vel in ijs commutandis æqualitatem negligens. Et hoc modo lædens, & iniuriam facere, & iniuſtus dici meretur.

Num verò hæc ſola læſio pœnas debet: an verò & cæteræ puniendæ ſunt?

Reliquarum quidem læſionum, quæ vel

vel ex alicuius circumſtantiæ ignorantia, vel ex aliquo affectu naturali fortiùs impellente, fiunt: videntur mereri veniam. Quæ autem ex ignorantia iuris & legum, aut ex odio, inuidia, alijſq; inhumanis affectibus, damna dantur: à iudice ſeriò & grauiter caſtigari debent.

Num omnes inuiti patimur iniuriam: an verò aliqui eam volentes accipiunt? Cap. IX.

Cùm tantùm volentes poſsint iniuriam facere: puto è contrario rectè affirmari, nos iniuriam pati tantùm inuitos. Id enim experientia teſtatur, cùm neminem vnquam viderimus, qui volens iniuriam acceperit. Et ſi volentes iniuriam pateremur: multò magis volentes pateremur ius. Sed & hoc falſum eſt. Etſi enim iuſta & iniuſta ſæpè patimur volentes: ius tamen inuiti patimur, cùm correctionem nemo lubens admittat.

Num ergo iuſta & iniuſta patiendo, non etiam ius & iniuriam patimur?

Quemadmodum in agendo iuſtè agunt, & iniuriam faciunt ij tantùm, qui ſpótè iuſta & iniuſta agunt: ita in patiendo ij tantùm ius & iniuriam patiuntur,

qui iusta & iniusta patiuntur inuiti. Qui autem volentes illa sufferunt: ius & iniuriam per accidens tantùm pati dicendi sunt.

Videntur autem incontinentes spontè pati iniuriam: siquidem eam sæpè ipsi sibi inferunt: nec infrequenter ab alijs volentibus ipsi volentes læduntur. Quinetiam spoliari se à suis amasijs libenter patiuntur?

Incontinentes etsi ipsi se lædere possunt: sibijpsis tamen iniuriam facere non posse deinceps ostendam.

Nec sequitur, cùm à volentibus lædantur ipsos iniuria affici. Nam ad iniuriam non sufficit, vt quis volens lædat: sed oportet id insuper fieri contra voluntatem eius, qui patitur.

Deniq;, cùm se spoliari patiuntur à suis amasijs, non patiuntur iniuriam. Est enim iniuria in potestate facientis, non patientis. Hæc autem spoliatio in patientis potestate est posita.

In distributione iniqua, vter iniuriam facit: isnè qui ita distribuit: an qui inde plus consequitur?

Is qui iniquè distribuit. Est enim principium eius iniquæ actionis, non in acci-

accipiente, ſed in diſtribuente. Ac licet accipiens aliquid ad eam conferat: & propterea eius cauſa quædam ſit: diſtribuens tamen cauſa principalis eſt, cui ſemper effectum adſcribimus.

Nec eſt, quod dicas, diſtribuentem nil inde accipere. Dum enim ita diſtribuit: vel ab altero gratiam conſequitur, vel erga alterum inimicitias ſuas exercet: atq; ſic etiam ipſe lucrum aliquod accipit.

Qui ergo in tali distributione ſibijpſi minus tribuit: nunquid ſibijpſi facit iniuriam?

In diſtributione iniqua patitur iniuriam, qui debita ſua parte defraudatur. Qui autem ita diſtribuit, vt ſibiipſi minus tribuat, ſeipſum parte ſua non defraudat: ſed eam cum meliore commutat. Pro ea enim conſequitur laudem benignitatis: aut etiam ipſam honeſtatem, quæ cunctis præſtat opibus.

Præterea, dictum eſt, nos iniuriam pati inuitos. Hic verò talē diſtributionem inſtituit ipſe lubens ac volens. Itaque ſi maximè rerum ſuarum iacturam faciat: iniuriam tamen ſibijpſi facere dici non poteſt.

Videtur autem res nequaquam difficilis iustum esse. Facilè enim est & iusta & iniusta agere?

Iniusta quidem agere facilè est, & primùm in tuo arbitrio positum. Postquam verò illorum habitum contraxeris: penes te eorum facultas ampliùs nō est: nec, si maximè velis, omitti possunt: quod tamen necesse est, si iustus esse velis.

Iusta præterea agere qualitercunq; sine negocio potes: vt manu depositum reddere: sed quod ad iustum virum maximè requiritur, ea consultò, cum voluptate, & constanter agere: id longè est difficilimū: nec nisi longo vsu efficitur.

Iusta tamen intelligere facilè est. Siquidem nec leges sunt intellectu difficiles?

Etsi leges intelligas: nondum tamen intelligis quæ iusta dicuntur. Sunt enim leges iustorum tantùm vniuersalia quædam præcepta. Quæ autem propriè iusta sunt: ea sunt in hominis actionibus, certo modo se habentibus: ad quæ cognoscenda, non tam legibus, quàm vsu & experientia opus est.

Potéstne etiam iustus aliquando iniuriam facere?

Depo-

Depoſitum quidem negare, & aliena rapere iuſtus poteſt: iniuriam tamen facere, & iniuſtè agere non poteſt. Hoc enim habitum requirit, & animum iniuſti cupidum: cùm ipſe iuſtus ab iniuſtis rebus abhorreat. Itaq́;, licèt aliquando (errore forſan) iniuſta agat: iniuriam tamen minimè facit.

Inter quos iura locum habent?

Qui externorum bonorum ita ſunt participes: vt de illis vel plus vel minùs ipſis tribuendo, peccari poſsit. Quibuſdam enim nimium tribui non poteſt: vt Dijs & heroibus: ac ijs qui ſine exceptione rerum omnium potiuntur. Alijs verò non poteſt nimium derogari: vt ſceleratis & inſanabilibus, vt quibus cuncta nocent. Alijs deniq́; competunt certa menſura: vt viris ciuiliter bonis: qui nec vniuerſis, nec omninò nullis digni ſunt: itaq́; & exceſſus & defectus capaces: in quibus poſtea corrigendis & emendandis, vt ſuprà dixi, iura munus ſuum obeunt.

Aequum bonum, quod Græci τὸ ἐπιεικὲς vocant, idémne cum iure eſt, an ab illo diuerſum? Cap. X.

Quòd omnino idem non sit: vel hinc patet, quòd virum æquum bonum qui de iure suo cedit, meliorem iudicamus eo qui ius suum vrget. Quòd verò nec planè diuersa sint: ex eo manifestum est, quòd cùm alterum tollat alterum: vtrunq; tamen vt bonum commendamus. Puto igitur æquum bonum à iure diuersum nō esse: sed tantùm diuersum ius diuersam iuris speciem. In genere .n. & ipsum ius est. In specie verò à legali seu scripto iure distinguitur, vtpote cuius rigorem, in quibusdam casibus, corrigere & mitigare consueuit.

Num verò ius scriptum adeò iniqua præcipit, vt correctione indigeat?

Ius scriptum siue lex, more omnium doctrinarum, vniuersaliter loquitur: & de singulis actionum generibus eadem semper præcipit: est autem actionum nostrarum tanta diuersitas ac discrepantia: vt vniuersalibus præceptis, differentiæ eius omnes comprehendi & explicari nequeant. Itaq; plærasque tantùm complectitur. Ac inde fit, vt si singularibꝰ quibusdā casibus accommodetur, de quibꝰ ipsa nō locuta est, nimis rigida videatur & iniqua pronunciare.

Que-

Quomodo igitur ἐπιείκεια defectum istum corrigit?

Cùm se casus aliquis obtulerit: qui à lege comprehensus non est: æquitas, æstimatis tum illius casus circũstantijs, tum legislatoris mente ac proposito, quo legem tulit: defectum istum ita supplet, ac de præsente casu ita pronunciat: vt, si ipse legislator adesset, de eo aliter non pronunciaret: imò de ipso legem tulisset, si tale quid futurum præuidisset.

Quid ergo est ἐπιείκεια?

Est emendatio seu mitigatio quædam legis, qua parte ipsa deficit, propterea quòd generaliter loquitur. Vel, est limitatio scripti iuris in eo casu, de quo lex præcipuè locuta non est.

Quem virum ἐπιεικῆ, id est, æquum bonum, nominas?

Qui in rebus suis, ad huiusmodi legum mitigationem aptus est, & propensus: nec durior iuris interpres, nec in deteriorem partem pronus: sed de iure suo sæpe concedit, quamuis legem pro se habeat.

Cap. XI.

An verò non posset aliquis ita sibijpsi iniuriam facere?

De eo suprà dicturus eram, cùm hoc ipsum argumentum soluerem. Quod autem id fieri nullo modo posit, facilè planum faciam.

Si enim possemus nobis ipsis iniuriam facere: oporteret id aut contra legitimam, seu vniuersalem iusticiam: aut contra particularem fieri. Sed nobis ipsis iniuriam facere (si rectè consideremus) nec hoc nec illo modo possumus. Primùm enim de talibus iniurijs nullæ leges sunt: nisi fortè illa, de seipso non occidendo. Qui verò se ipsum occîdit: non sibi facit iniuriam, sed Reipublicæ. Illa enim ob id ipsum sepultura priuat, aut alia notat infamia.

Deinde verò, quòd nec contra particularem id fieri posit: planum per se videtur. Aliâs enim posset idem eidem addi simul & eripi. Nam quod iniuriam facienti accedit, iniuriam accipienti eripitur.

Esset præterea quis sibijpsi contrarius. Esset enim volens & nolens pariter: item seipso prior & posterior: cùm faciens sit patiente naturâ prior.

Cum-

Cumq; omnis iniuria fiat secundum aliquam iniusti speciem: vt furto, rapinis, adulterio: dicendum esset, aliquem sua sibijpsi eripuisse, sua furatum, cum vxore sua adulterium commisisse. Quæ omnia, cùm sint absurda dictu: videtur etiam absurdum, aliquem sibijpsi posse iniuriam facere.

Num verò homo erga seipsum ius nullum habet?

Habet quidem, sed impropriè dictum ius. Siquidem id ius dicitur propter similitudinem tantùm: & eam quidem, non iuris ciuilis: sed tantùm herilis. Neq; est ius hominis ad seipsum, vt totius ad totum: sed tantùm partium eius inter se, rationis nimirum & appetitus: quorum illa quidem ius imperandi habet: hic verò obedire tenetur. Quale ergo ius herus in seruum habet: tale habet ratio in appetitum. Et vt seruus hero iniuriã facit, si illius detrectet imperium: & herus vicissim, si seruo turpia mandet: ita quoq; appetitus rationi, si illius dictamen respuat: & appetitui vicissim ratio, si turpia dictet, iniuriam facere dicitur.

Vtrum peius est: facerêne an pati iniuriam?

Etsi

Etsi ambo mala sunt: cùm ab æquitate ambo recedant facere tamen, quàm pati iniuriam, peius est. Qui enim iniuriam facit: in vitio est, & reprehendendus. Qui autem illam accipit: sine vitio & reprehensione eam accipere, & ferre potest.

Liber sextus.

Cap. I. *Quæ nunc virtutes explicandæ restant?*

POstquàm morum virtutes, hoc est, habitus appetitum perficientes, explicatę sunt; restat nunc, vt etiam disseramus de virtutibus διανοητικαῖς, id est, de habitibus intellectus. Sic enim non solùm vniuersas virtutum species cognoscemus: verùm etiam, cùm inter ipsas prudentia quoque numeretur, quæ suprà morum virtutes definiebantur, earum explicatione morales virtutes eò meliùs intelligemus.

Vt ergo de earum subiecto primùm quæram: mens quot partes habet?

Duas. Altera contemplamur necessaria; vt diuina, cœlestia, naturalia: quam

quam ἐπιστημονικὴν vocāt: altera contingentia consideramus, & de rebus gerendis deliberamus: quæ Græcè λογιστική, & quoniam actionum principium est, etiam πρακτικὴ dicitur.

Quot sunt actionum nostrarum principia? Cap. II.

Duo. Ratio, id est, mens λογιστική, & appetitus. Ratio enim indicat quid bonum, & quid malum sit: quidque homo vel prosequi, vel fugere debeat. Appetitus autē incitat hominem, tum ad bonū prosequendum, tum ad malum fugiendum. Quod enim in mente affirmatio & negatio est: id in appetitu est fuga, & prosecutio.

Cur λογιστικὴν potius, quàm ἐπιστημονικὴν, actionum causam esse dicis?

Quia hæc versatur circa nudam tantùm & simplicem veritatem: quæ necessariorum tantùm est: eorum scilicet, quæ à nobis agendo acquiri nequeunt. λογιστικὴ verò circa noticiam, & veritatem expetibilis boni: quod à nobis acquiri potest, & cuius desiderio appetitus rationi coniungitur, & cum ipsa προαίρεσιν efficit, ex qua deinde actio proficiscitur.

Nam

Num qualibet eius cogitatio actionem efficit?

Non: sed ea tantùm, quæ suscipitur alicuius rei acquirendæ, vel fugiendæ gratia: vt coëmendorum alimentorum, aut iniuriæ propulsandæ. Simplex enim, quæ sine causa suscipitur, qualis esse potest de alienis negocijs: aut de proprijs quidem, sed iam præteritis: illa, inquam, actionem non efficit.

Cap. III. *Quot sunt mentis nostra habitus?*

Habitus quibus mens nostra, vel affirmando, vel negando verum enunciat, quinque sunt: scientia, ars, prudentia, sapientia, & intellectus. Coniecturæ enim & opinio, cùm aliquando fallant, inter mentis nostræ virtutes numerari non possunt.

Vt de scientia primùm quæram, circa quas res illa versatur?

Circa res necessarias. Quæ enim scimus ea putamus aliter se habere non posse: quæ autem aliter se habere nequeunt, necessaria sunt. Atque hinc patet, eam versari quoque circa æterna, idest, ortus & interitus expertia. Siquidem absolutè necessaria æterna quoque sunt.

Quomodo comparatur talium cognitio?

Demon-

Demonstratione. Nam omnis doctrina sua docet ex quibusdam præcognitis: idq; vel inductione, vel syllogismo. Et inductione quidem ex singularibus colliguntur, & confirmantur scientiarum principia. Syllogismo verò, ex principijs ita cognitis, scientiæ necessarias suas conclusiones demonstrant.

Quid est scientia?

Est habitus demonstrandi necessariam conclusionem ex necessarijs: hoc est, ex veris, primis, immediatis, prioribus ac notioribus, causisq; eius, quod conclusione efficitur.

Quid est Ars? Cap. IIII.

Nihil aliud, quàm habitus ad faciendum valens, cum vera ratione coniunctus. Si enim singulos habitus percurras: semper deprehendes eos, quibus aliquid cum vera ratione facimus, artes appellari.

Circa quid versatur Ars?

Circa materiam contingentem, hoc est, quæ tractari mutariq; potest: suæ tamen mutationis principium non in seipsa habet (sicuti res naturales) sed in artifice, qui eã ad certum modum conformara potest.

Quomodo differt à scientia, intellectu & sapientia?

Ars habet materiam, vt modò dixi, tractabilem: quæ ab artifice mutari potest, certoq; modo conformari. Istorum verò habituum materia necessaria est, & immutabilis: quam cognoscere quidem & contemplari, mutare tamen non possumus.

Quid est inertia?

Est habitus, quo falsa ratione efficimus aliquid eorum, quæ se aliter habere possunt.

Cap. V. *Quid est prudentia, & quem virum prudentem nominas?*

Voco prudentem, qui benè consultare potest de ijs, quæ ipsi bona sunt & vtilia: non quidem in certo aliquo genere: sed in cunctis, quæ ad benè beateq; viuendum conducunt. Itaq;, prudentia videtur nil aliud: quàm habitus secundum veram rationem agendi circa vniuersa, quæ homini bona & mala sunt.

Num ergo circa bona & mala prudentiam versari putas?

Maximè. Pericles enim, & eius similes, quibus prudentiam tribuimus, in eo solo

solo valuêre: quòd ea, quæ ipsis ciuibusque suis, bona fuerant, dispicere ac prouidere poterant.

Et temperantia, quia notitiam hanc de bonis malisque hominum, rebusque gerendis tuetur & conseruat: Græcis σωφροσύνη, id est, prudentiæ conseruatrix dicitur. Ex quo satis patet, prudentiam circa huiusmodi occupari.

Num verò temperantia hanc solùm conseruat notitiam.

Hanc solùm. Siquidem id tantùm conseruat, quod voluptas & dolor corrumpunt. Illa verò aliud corrumpere nô possunt: quàm quo de bonis malisque humanis, rebusque gerendis iudicamus. Qui enim ob acceptam iniuriam dolet: non ignorat totum sua parte maius esse: aut ex puris negantibus nil effici: sed priuatam vindictam non vsurpandam: fortiorem ferro aggredi periculosum esse: eius iratus sæpè obliuiscitur.

Quomodo autem corrumpitur hæc notitia?

Voluptas & dolor primùm corrumpunt voluntatem: ex quo deinde apparet aliud βουλητὸν, id est, aliud exoptabile bonum, aliusque agendi finis. Cumque

finis rerum gerendarum, ſit actionum noſtrarum principium: vnde omnis benè agendi ratio ducitur: illo ignorato, neceſſe etiam in agendo, & in actionibus iudicandis, aberrari.

Quomodo differt prudentia à ſcientia?

Scientia verſatur circa neceſſaria: id eſt, ea quæ ſe aliter habere nequeunt. Prudentia verò circa contingentia: quæ ſe aliter habere, & agendo mutari poſſunt.

Quomodo ab arte diſtinguitur?

Artis eſt effectio: prudentiæ non effectio, ſed actio potiùs.

Cumq; ars ad opus ſuum perficiendum, requirat morum virtutes, vt diligentiam, ſobrietatem, fidem: prudentia eas non deſiderat; ſed ipſas vbicunque fuerit præſupponit.

Tum in arte ſpontè peccantem inuito præferimus: in prudentia verò qui ſpontè peccat, poſtponimus inuito, eoq; deteriorem appellamus.

Cap. VI.

Quid eſt Intellectus?

Eſt habitus quo ſcientiarum principia, nobis obſcurâ illâ luce naturæ nota, pleniùs ac perfectiùs cognoſcimus

mus & contemplamur. Cùm enim principia, inter ea quæ sub notitiam nostrā cadunt, notissima nobis sint: oportet, vt aut arte percipiantur, aut scientia, aut sapientia, aut intellectu, aut prudentia. Habitus enim, quibus mens nostra verum enunciat, plures dari non possunt. Cæterùm arte & prudentia non percipiuntur. Sunt enim illæ rerum contingentium, & earum quæ mutari possunt: cùm principia necessaria sint, & planè immutabilia. Sed neque scientia percipiuntur, aut sapientia. Est enim scientia eorum tantùm, quorum est demonstratio: quemadmodum etiam ex parte ipsa sapientia. Principia verò cùm prima sint, nec habeant aliqua se priora, demonstrari nequeunt. Itaque cùm nullo istorum habituum percipi possint: superest ipsa intellectu percipi.

Quot modis vsurpatur vox sapientiæ? Cap. VII.

Duobus modis. Nam primùm sumitur pro certæ alicuius artis perfectione seu excellentia. Cùm enim Polycletum sapientem statuarium, & Apellem sapientem pictorem fuisse dicimus: putamus vtrunque in arte sua fuisse perfectum & excellentem.

Deinde etiam pro absoluta cognitione scientiarum: qua non tantùm conclusiones earum demonstrare ex suis principijs possumus: verùm ipsa quoque principia perfectißimè intelligimus. Et hac significatione propriè vsurpatur sapientiæ vocabulum.

Quid igitur est sapientia?

Est rerum præstantissimarum, tùm intellectus, tum scientia, & quasi princeps disciplinarum, quæ prima Philosophia dicitur.

An illa non idem est quod prudentia?

Quòd idem non sit, vel hinc patet: quod cùm sapientiæ ratio tantùm vna sit: prudentiæ tot rationes sunt, quot actionum genera illi subiecta sunt.

Et si idem esset: sequeretur inde, quòd, vt multæ prudentiæ sunt, ita quoque multæ essent sapientiæ: quod tamen affirmare absurdum est. Etsi enim multæ prudentiæ species sunt: sapientia tamen vna tantùm est.

Tum si idem essent: quicunque sapiens esset, etiam prudens dici posset. Esset enim vtriusque vnus idemque habitus: sed multos sapientes, vt Anaxagoram, Thaletem, & hisce similes, prudentes fuisse

fuiſſe negamus: itaque manifeſtum eſt, aliud ſapientiam, & aliud prudentiam appellari.

Quomodo ergo inter ſe differunt?

Prudentia verſatur circa humanas actiones, & eas res, quæ ſub deliberationem cadunt. Eſt enim eius munus in deliberando poſitum. Sapientia verò circa res neceſſarias & diuinas, ac tales quibus nulla actio eſt propoſita.

Cumq; ſapientia ſit vniuerſalium tantùm: vt principiorum, & ex illis productarum concluſionum: prudentia eſt etiam ſingularium. Eſt enim agendi habitus: actiones autem in ſingularibus conſiſtunt. Atq; hinc eſt, quòd indocti ſingularium freti peritia, ſæpè doctis aptiores ad res gerendas, & prudentiores reperiuntur.

Vt redeam tandem ad præcipuam huius libri materiam: dic mihi, quotuplex eſt prudentia? Cap. VIII.

Alia quidem priuata eſt: vt qua nobiſipſis proſpicimus, quam generis nomine prudentiam vocant: alia communis, qua vel rem familiarem adminiſtramus, vt Oeconomica: vel Rempub. tuemur, vt quam Politicam nuncupant.

Et hæc rursum. vel occupatur in legibus ferendis, ad Reipublicæ commodum pertinentibus, & tum νομοθετικὴ dicitur: vel Rempublicam secundum leges illas administrat, aut iudicando, aut deliberando, quæ generis nomine πολιτικὴ dici solet.

Priuatáne, an communis, veriùs prudentia dicitur?

Vulgus existimans, id solum agendum homini, quod sibijpsi prosit, eam tantùm prudentiam vocat, qua quis sibi prospicit, communi prudentia exclusa. Quòd autem hæc non minùs prudentiæ nomen mereatur: vel hinc patet, quòd priuata bona, sine bono communi parari nequeunt. Rem enim suam agere, extra Oeconomiam & Rempublicam nemo potest. Præterea, prudentia requirit experientiam singularium. Hæc verò paratur in conuersatione tum politica, tum œconomica. Itaq; vbi ciuilis prudentia non fuerit: ibi nec priuata locum habet.

Quî fit, quòd iuuenes Mathematicas disciplinas addiscunt: prudentiam verò parare sibi nequeunt?

Id illis ex causa modò dicta vsu venita

nit: Iſtas enim diſciplinas, cùm tantùm vniuerſalibus conſtent præceptionibus, addiſcere & intelligere facilè poſſunt. Prudentia verò præter vniuerſalium notitiam, requirit etiam experientiam ſingularium, rerumq́ue aliquem vſum: qui iuſtum tempus poſtulat. Hoc ergo cùm iuuenes per ætatem deſtituantur: mirũ non eſt, ſi prudentes fieri nequeunt.

Eandem verò ob cauſam, iídem nec ſapientes fieri poſſunt, nec Phyſici. Talium enim principia, cùm non niſi vſu & experientia cognoſcantur: ea ipſi deſtituti, illa nec credunt, nec diſcere poſſunt.

Quomodo differt prudentia à ſcientia & intellectu?

A ſcientia quidem differt, quòd ea tantùm eſt vniuerſalium: prudentia verò, vt modò dixi, etiam ſingularium. Ab intellectu verò, quòd ille principiorum primorum eſt, quorum nec ratio eſt, nec ſciẽtia: prudentia verò etiam vltimorum, id eſt, ſingularium, quorũ ſimiliter non eſt ſcientia, ſed ſenſus tantùm. Intelligo autem non eum ſenſum, qui res ex accidentibus ſuis percipit: ſed qui ſingularia abſolutè ſentit: quem ſenſum communem appellamus.

Cap. IX.

Num quid aliud restat, quod de prudentia dici possit?

Restant virtutes quædam prudentiæ affines: quibus ipsa in munere suo obeundo, tanquam ministris vtitur. Sunt autem, bona consultatio, intelligentia, & sententia: de quibus paucula quædam hîc nobis dicenda sunt.

Quæ est bona consultatio?

Est consilij quædam rectitudo, qua bonum nobis propositum, honestis commodisq́; medijs consequimur.

Quot modis rectum consilium dicitur?

Quatuor modis. Primò quidem, quo id, quod nobis proposuimus, consequimur: licèt id malum sit. Quale fuit consilium Pharisæorum de tollendo Christo.

Secundò, quo rem verè bonam & honestam consequimur, turpibus autem & inhonestis medijs: vt si quis liberos suos furtis & rapinis alat.

Tertiò, quo rem bonam & laudabilem, honestis quidem consequimur medijs: ijs tamen minùs commodis, tutis, aut facilibus: vt si quis armis sua repetat, qui legibus poterat ius suum obtinere.

Quar-

Quartò, cùm bonum aliquod consequimur bonis & honestis medijs, ijsq; facilibus & expeditis. Et hoc vltimo tantùm modo bonam consultationem rectam esse dicimus.

Bona consultatio quotuplex est?

Duplex. Est enim vel absolutè bona, vt quæ ad omnem vitam benè beateq; tuendam facit: vel ex parte bona, vt qua non ipsam quidem fœlicitatem, sed tantùm aliquod certum bonorum genus, ad felicitatem conducens, assequimur.

Quomodo differt bona consultatio à scientia?

Qui consultat, quærit aliquid. Est enim consultatio quæstionis quædam species. Scientiæ verò non est quærere: sed quæ probè sciueris, ex causis suis demonstrare.

Quomodo differt à bona coniectura?

Bona coniectura fit sine ratione: & quasi in momento. Bona verò consultatio quærendo fit, & ratiocinando: id quod temporis moram postulat.

Quid est intelligentia? Cap. X.

Est habitus quidam ex vera opinione iudicandi de ijs rebus, quæ à prudentibus viris decreta & constituta sunt.

Num

Cum aliud est intelligentia, quàm scientia aut opinio?

Si scientia esset, aut opinio: omnes profectò vel scientes, vel bonas opiniones habentes etiam intelligentes essent. Videmus autem aliquos scientes esse: aliquos etiam optimas opiniones habere: qui tamen intelligentes dici nequeunt.

In specie verò scientiarum nulla dici potest: siquidem circa nullam earum rerum occupatur, circa quas scientias versari cernimus. Scientiæ enim circa necessaria: hæc verò circa contingentia, & hominum actiones, suo munere fungitur.

Num igitur idem est, quod prudentia?

Habet quidem cum prudentia materiam communem, cùm occupetur circa res agendas: differt tamen in hoc, quòd prudentia, quid agendum sit, deliberat ac decernit. Hæc verò per se nil decernit, nec etiam aliquid fieri præcipit: sed quæ à prudentibus viris decreta & præcepta sunt: tantùm benè ac dextrè dijudicat.

Cap. XI. *Quid est sententia, quam Græcè γνώμην vocant?*

Nil

Nil aliud, quàm viri æqui & boni, de dictis factiſq; hominum rectum & verum iudicium. Nam τῆς γνώμης eſt dare veniam. Damus autem veniam maximè per ἐπιείκειαν, id eſt, æquitatem: vtpote, cuius munus eſt hominum delicta non exaggerare, ſed illa quàm mitiſsimè interpretari.

Habitus hactenus expoſiti, quomodo inter ſe conueniunt?

Primùm quidem communi ſubiecto. Prudentiam enim, intellectum, ſententiam, & intelligentiam, iiſdem tribuimus. Eoſdem enim prudentes, intellectum habentes, in ſententijs dicendis moderatos, & intelligentes vocamus.

Deinde, conueniunt etiam communi materia: occupantur enim ſinguli circa extrema. Prudentia namq;, ſcientia, & intelligentia, circa actiones verſantur, & res actionibus ſubiectas: quæ cùm ex ſingularibus ſint, extrema rectè dicuntur. Intellectus verò, circa extrema occupari dicitur, non ſolùm, quia circa vniuerſalia, hoc eſt, ipſa principia: verùm etiam, quòd circa hæc ipſa ſingularia munus ſuum obit. Nam & ipſa principia ſunt: cùm ex illis ipſa vniuerſalia colligantur, & omnino in illis conſiſtāt.

Deniq;

Deniq; sententia & intelligentia conueniunt etiam officio & fine. Ambæ enim hominum actiones & consilia, dextrè beneq; intelligunt & iudicant.

Num ergo ad hosce habitus aliquid confert singularium notitia?

Plurimùm certè. Nam propter ipsa, intellectus demonstrationum & principium & finis dicitur: cùm ex ipsis principia colligat: & ex principijs ea ipsa (sub vniuersali quidem ratione) demonstret.

Quòd etiam intellectus, sententia & intelligentia, natura inesse videntur: ob id solùm fit, quòd experientiam singularium postulant: quæ cùm ætatem requirat: ætas autem naturâ insit: etiam ipsi habitus naturales esse putantur.

Adhæc, quòd senibus & vsu peritis, etiam sine demonstratione, fides habenda putatur, non minùs quàm aliorum demonstrationibus: id ipsis propter experientiam singularium tribuitur. Ea enim videntur quasi oculum quendam consecuti: quo principia rerum gerendarum cernere possint.

Ad

Ad quid autem de ſapientia & prudentia tam multa diſſeris? Cap. XII.

Quia virtutes ſunt mentem noſtram perficientes, hæc quidem τὴν λογιστικὴν: illa verò τὸ ἐπιστημονικόν. Deinde etiam pertinent ad benè beatéq; viuendum. In ſapientia enim conſiſtit ſuprema illa & perfecta felicitas: per prudentiam verò ciuiliter beati ac felices euadimus.

Cur ergo quidam putant, eas nobis vt inutiles negligendas eſſe?

Sapientiam quidem inutilem eſſe putant: quòd, cùm ad felicitatem conſequendam, adiuuent ea tantùm bona, quæ à nobis acquiri poſſunt: ipſa circa æterna verſetur, & immutabilia: quæ à nobis agendo acquiri nequeunt. Prudentiam verò, quia ad vitam beatam nec bonis nec improbis ea opus ſit. Cùm enim ipſa cõſiſtat in honeſtis actionib9; improbos quidem illas edere poſſe tantum imitatione: aut ſi prudentiam dictis pareant. Bonos autem honeſta agere ex ſua virtute, quam ſibi vſu parauerint. Itaque, vt nec ſanis opus ſit, Medicinam addiſcere, cùm ſana ex ſeipſis operentur: neque non ſatis,

cùm

cùm illi Medicos poſsint conſulere, & ex illorum præſcripto curam ſuſcipere: ita ob eaſdem cauſas, nec bonis, nec non bonis, ad felicitatem opus eſſe, vt prudentiam addiſcant.

Quid autem ad hæc reſpondes?

Quod ad ſapientiam attinet: manifeſtum eſt, quòd felicitatis non quidem adiuuans cauſa ſit: vt Medicina ſanitatis: ſed omnino eius cauſa formalis: quemadmodum dicimus, ſani corporis ſanitatem cauſam eſſe. Conſiſtit enim felicitas in exercitio ſtudioque virtutis cuius prima & præcipua ſpecies eſt ſapientia.

Quod verò de prudentia dicunt falſum eſt. Ad fælicitatem enim conſequendam non ſatis eſt, vt honeſta qualitercunque agas, imitatione nimirum, vt improbi ſolent: ſed vt illa agas τῇ προαιρέσει, id eſt, conſultò & ſtudioſè.

Nec ad id virtus ſolùm requiritur, vt illi putant: verùm etiam prudentia. Virtus enim actionis propoſitum tantum, ac finem rectum efficit: media verò, quibus ad illum conſequendum vtimur, non virtus ſed prudentia monſtrare poteſt.

Quid

Quò melius intelligam: dic, quibus rebus honestam actionem efficimus?

Vt honesta fiat actio duo requiruntur. Alterum quod rectum efficit actionis finem, & impellit hominem, vt in agendo sibi proponat quod bonum est. Alterum verò quo cernimus media & modum, quo in actionibus id, quod honestum & bonum est, consequamur.

Quid est illud, quo media apprehendimus?

Illud est in plærisque innata illa facultas, quæ Græcè δεινότης, Latinè, solertia dicitur: qua ea, quæ ad propositum nostrum consequendum faciunt, excogitare & inuestigare possumus.

In viris bonis autem est ipsa prudentia, de qua hactenus diximus: qua non facilè solùm, verùm etiam honestè voti compotes euadimus: Et ab illa quidem dicta δεινότης non nihil differt: cum ipsa tamen eam affinitatem habet: vt si illi rerum vsus, ac morum virtus accedat, in prudentiam transire, & vera φρόνησις appellari posit.

Num ergo prudentia sine virtute acquiri nequit?

Ita sanè. Prudentia enim est, de rebus gerendis ratiocinari & deliberare

posse. Ratiocinatio autem, ac deliberatio vim ac pondus suum habet ex ipso fine. (Finis enim actionis, est ipsum deliliberationis principium.) Porrò, verum finem seu principium illud nemo cernit: nisi qui virtutem habet. Vt enim vitiũ circa principia errare facit: ita virtus vt illa verè cernamus, efficit. Ex quo iam planum euadit, quòd solus vir bonus, id est, qui virtutem habet, prudens dici mereatur.

Cap. XIII. *Quid autem est id, quod propositum nostrum rectum efficit?*

Illud quoque duplex est. Vt enim nobis honesta proponamus: primum efficit virtus illa naturalis (quæ aliâs communis dicitur, cùm & brutis insit) qua ad iusticiam, temperantiam, fortitudinem, apti quidam sunt, quamprimùm nascuntur. Deinde quæ naturalem perficit, virtus moralis: quam quisque nostrûm vsu parat, quam (ad differentiam communis) propriam vocare posses. Inest enim tantùm hominibus: & ijs quidem solis, qui cum naturali illa, siue communi, rerum vsum: ac ipsam prudentiam coniunxerunt.

Num ergo moralis virtus sine prudentia esse non potest?

Certè

Certè, vt prudentia ſine virtute haberi nequit: ita nec virtus ſine prudentia. Hinc enim Socrates putabat morales virtutes nil niſi prudentias eſſe: & poſteriores Philoſophicas prudentią definierunt. Virtutem enim aliquam definire volentes, cùm habitum eſſe dixiſſent, & obiectum addidiſſent: ſemper adiecêre particulam hanc, SECVNDVM RECTAM RATIONEM: hoc eſt, ipſam prudentiam. Etſi verò nec hi, nec ille, per omnia rectè ſenſerint: colligi tamen ex hiſce poteſt, ipſos vnanimi conſenſu ſtatuiſſe, virtutem ſine prudentia eſſe non poſſe.

Atq; hinc etiam patet, prudentiam eſſe virtutum moralium commune vinculum: vt qui vnam ex illis habeat (cùm is neceſſariò etiam prudens ſit) cæteras quoq; habere ſine dubio poſsit.

Sapientiâne, an prudentia, præſtantior eſt?

Quandoquidem ſapientia præſtantiſsimam mentis noſtræ partem perficit; & circa materiam occupatur nobiliſsimam: ἐνεργείας porrò ſeu functiones optimas habet, (vt deinceps audiemus) non dubito, ſapientiam prudentiæ longè anteponere.

Cùm autem prudentia dominetur & imperet: videtur esse præstantior?

Prudentiam in Republica dominari, non eo inficias: nego tamen illam dominari sapientiæ. Si enim illi dominaretur: etiam ipsa vteretur: quemadmodum vtitur arte militari, oratoria, & hisce similibus. Videmus autem eam illa non vti: sed tantùm operam dare, vt in Republica locum habeat se dignum. Et in medicina sanitati non præcipit: sed homini vt sanitatem tueatur: ita hanc quoque imperare, non quidem sapientiæ, sed hominibus, propter sapientiam, vt eius studia ipsi colant.

Liber septimus.

Cap. I.

De virtutibus & vitijs hactenus satis dictum arbitror: quid porrò mihi discendum superest?

De virtutibus quidem ac vitijs διανοητικοῖς, prout fert operis instituti ratio, hactenus dicta sufficere puto. De morum tamen habitibus, aliquid ampliùs dicendum est: ac etiam explicanda continentia & incontinentia, & cognati illis habitus, patientia & mollicies. Cùm enim

enim & ipsæ, morum habitus sint: à virtute tamen & vitio non nihil discrepant: quippe cùm virtus verè bonos faciat: vitium perfectè improbos: ab hisce tamen nec planè improbi, nec omnino boni dici possumus.

Suntné igitur plures moralium habituum species?

Fugiendorum quidem tres sunt: vitium, incontinentia, & immanitas: quibus tres prosequendorum respondent: virtus, quæ vitio: continentia, quæ incontinentiæ: & heroica virtus, quæ immanitati opponitur. Oppono enim immanitati virtutem heroicam: tum quia vtraq; excellit: hæc quidem bonitate: illa verò malitia: tum etiam quia vtraq; rara est. Vt enim homines diuinos rarò cernimus: ita quoq; rarò deprehenduntur, quos immanes vocamus. Nec enim tales existunt, nisi quos vel innata gentis alicuius immanitas, vel morbus, vel enormis improbitas, tales effecerit.

De istis ergo habitibus, quænam sunt aliorum placita?

Quæ ex ijs probabiliora videntur, hæc potissimum sunt: Continentiam & patientiam esse habitus bonos & laudabiles:

biles: incontinentiam verò & molliciem, habitus malos & vituperandos esse.

Continentem, & qui in eo quod ratio suadet permanet, idem esse. Idem quoque esse incontinentem, & qui à rationis iudicio descíscit.

Incontinentem, id quod malum est, benè agnoscere: animi tamen perturbatione concitatum, illud ipsum agere. Continentem verò, cùm videat cupiditates suas turpes esse: neglectis illis rationis dictamen sequi.

Temperantem putant etiam continentem & patientem esse. An autem vicissim, qui talis est, tẽperans sit: inter aliquos controuertitur. Eodemque modo intemperantem & incontinentem, alij idem esse dicunt: alij eos differre putant.

Quidam incontinentiam in virum prudentem cadere negant. Quidam verò solertes quosdam & prudentes reperiri dicunt: qui videantur ab incontinentiæ malo non alieni.

Communis denique vulgi opinio est: malum incontinentiæ, non circa vnum aliquod versari: sed circa cuncta morum obiecta. Et propterea incontinentium alios iræ, alios lucri, alios honorum incontinentes vocant: adeoque incontinentium multas species numerant.

De

De singulis hisce, tuam quoq; sententiam audire cupio: & primùm quid de prima opinione sentias? Cap. II.

Primam non improbandam puto. Videtur enim continens & patiens, verè laudandus: incontinens autem malus, & propemodum ipso intemperante peior. Hic enim persuasus est se benè agere: itaq; videtur institutione meliore posse reuocari ad frugem. Incontinens verò cùm sciens peccet: & id quod malum esse non ignorat, nihil ominùs agat: videtur in illo omnis doctrina, omnisq; correctio superuacua: ac propterea ipse planè impœnitens, & insanabilis: de quo tamen pòst ampliùs disputabitur.

Quid de secunda sentis?

Si simpliciter intelligatur: planè absurda est. Si enim continentia in quauis opinione perseuerantes faceret: & incontinentia à quauis opione dimoueret: sequeretur inde in falsa opinione, & malo proposito, continentiam malam: incontinentiam verò bonam esse.

Item, continentia nos etiam detineret in captionibus Sophisticis: vt, quod imprudenter concessissemus, reuocare nollemus.

Præterea, hoc modo ex incontinen-

tia & ſtultitia virtus conflaretur & honeſta actio. Cùm enim ſtultitia dictaret, temperantiam fugiendam eſſe: incontinentia ab iſta opinione nos auocaret: & ſic ſtultus incontinens, bonum ageret.

Quid de tertia?

Socrates quidem tertiam explodebat. Dicebat enim difficile eſſe: vt in quo inſit ſcientia, aliud quiddam dominetur: & hominem, inſtar mancipij, huc illuc rapiat. Et propterea incontinentiam in hominibus eſſe negabat. Neminem enim qui de rebus rectum haberet iudicium, aliud quicquam agere poſſe, quàm quod bonum ſit. Et, ſi aliud agat: per inſcitiam tantùm id agere. Quæ autem vera de hoc ſententia ſit, deinceps audiemus.

Quid de quarta?

Continentem & temperantem idem eſſe nego. Temperans enim nec malis, nec vehementibus turbatur affectibus. Conſtat autem continentem affectus habere, nõ vehementes ſolùm, ſed etiam improbos. Niſi enim mali & improbi eſſent: ipſe malus eſſet qui eos contineret: & ſi remiſsi eſſent, & imbecilles: nec glorioſum illi, nec magnum foret, eos vincere & continere.

Quid

Quid de quinta?

Incontinentem certè nunquam prudentem dixerim. Prudens enim vt sponte sua nunquam peccat: sed optima semper agit: ita ad res benè gerendas est imprimis idoneus. Incontinens verò licèt optima nôrit: sæpe tamen quod pessimum est agit, idque sua sponte. Quare nec idoneus ad res gerendas censetur.

Quid de sexta?

Si incontinentia versaretur non circa vnam aliquam & certam materiam: sed circa cuncta morum obiecta: nemo diceretur absolutè incontinens: siquidem fieri non posset, vt vnus aliquis omni genere incontinentiæ laboraret. Sed multi sunt quos absolutè incontinentes dicimus, sine additione vel iræ, vel lucri, vel gloriæ. Necesse igitur est non plures, sed vnam tantùm esse materiam: circa quam propriè versetur incontinentia.

Vt ergo, quod in quauis disputatione primum est, primùm quæram: estné in moribus hominum incontinentia, qua nimirum aliquis sciens peccet? Cap. III.

Etsi Socratis argumentum, quo cõtrarium probare conabatur, planè reijcere nolim: incontinentiam tamen esse, & inter homines aliquos incontinentes

reperiri, ipsa testatur experientia. Improba enim agere multos videmus: qui tamen aliâs quæ facere, quæq; omittere oportet, probè norunt. Itaq; Socraticæ ignorantiæ termini constituendi sunt: & ostendendum, qua ratione incontinens dum peccat, vel sciens, vel ignarus dicatur: id quod aliquot scientiæ distinctionibus propositis me planum facturum credo.

Quot modis ergo vsurpatur scientiæ vocabulum?

Primùm quidem scientiæ vocula, aliâs pro solo habitu sumitur, & notitia planè ociosa: vt cùm quæ scimus in agẽdo non cogitamus: aliâs verò pro ipso scientiæ vsu: cùm nimirum quæ scimus in agendo consideramus, & secundum ea agimus. Et hac posteriore quidem scientia præsente, nemo peccat. Si verò prior solùm adsit: mirum non est, si quis perperàm agat.

Deinde propositionum, quas in agẽdo scire oportet, duæ sunt: altera vniuersalis: altera particularis: vt, omnem ebrietatem fugiendam: & hoc poculum inebriaturum. Qui ergo vtramq; sciuerit, & considerauerit: nequaquam peccabit. Qui autem particularem, aut ignorâ-

rit, aut nō perpenderit: is, licèt vniuersalem nôrit, agendo tamē peccare poterit.

Præterea, ipsa vniuersalis aut intelligitur solùm in seipsa: vt cùm agnoscimus prædicatum subiecto verè tribui: vt, omni pituitoso sicca conferre: aut agnoscitur in rebus per ipsam significatis, experentiæ beneficio: vt cùm non solùm scio, omni pituitoso sicca conferre: verùm etiam pituitosos agnosco, & simul noui quæ sicca sint. Vbi rursum priore tantùm præsente peccari potest.

Deniq;, habitus ociosus, de quo modò dixi, in alijs liber est, & ad vsum expeditus: vt eo cùm velint, vti possint: in alijs verò quasi ligatus: vt habentes quasi non habeant. Cuius generis sunt, non solùm insani, dormientes, ebrij: verùm etiam, quicunq; aliquo grauiore affectu turbati fuerint. Itaq; nec in his mirum est, si quamuis præsente scientia, agant quod turpe est.

Quomodo igitur peccat incontinens?

Cùm duæ opiniones, quæ ad actionē requiruntur, vniuersalis nimirum, & particularis, ad actionem producendam coniungendæ sint: vt omnem ebrietatem vitandam: & hoc poculum inebriaturum esse: incontinens in pertur-

batione, particularem vniuersali peccare prohibenti, non coniungit: sed illi opponit. Cùm enim ratio vniuersalium pronunciat, omnem ebrietatem vitandam: cupiditas ex opposito, particularem cum alia vniuersali copulatam & corruptã profert. Hoc poculum (quod modò inebriaturum videbatur) mihi suaue est. Omne autem suaue amplectendum est. Itaq; hinc præualente cupiditate, incontinens se vino ingurgitat.

Quid autem respondes ad argumentum Socratis?

Ex modò dictis: nostra sententia cum Socratis opinione conciliari potest. Peccat enim incontinens non cùm præstò est, quæ propriè scientia dicitur: scilicet ipsa vniuersalis (hanc enim in perturbatione ociosam suspendit: & eius loco assumit aliam) sed præsente tantùm opinione particulari, quæ sola conuellitur. Cùm enim priùs sonaret: hoc poculum inebriabit: in perturbatione iam dicit: hoc poculum suaue est. Hoc enim solùm considerat incontinens: prius illud non ampliùs cogitans, quamdiu durat perturbatio.

Cap. IIII. *Circa quas res versatur patiens & continens mollis item & incontinens?*

Materia.

Marteria, circa quam homines tales appellamus, voluptas eſt, & dolor: quibus quidem molles, & incontinentes cedunt: patientes verò & continentes, reſiſtunt. Cùm autem non vnum voluptatis genus ſit: fit, vt ex ea, nec vno eodemq́ modo dicantur incontinentes: ſed pro eius diuerſitate, etiam ipſi differant.

Quotuplicia igitur ſunt, ex quibus voluptatem percipimus?

Quædam homini neceſſaria ſunt: vt quæ ad corpus pertinent: qualia ſunt alimentum & Venus: quædam non neceſſaria: ſed per ſe expetenda: ita quidem, vt eorum nimio ſtudio peccari poſsit: vt honor, opes, victoria, & hiſce ſimilia, quæ in bonorum & iucundorum numero ponimus.

Quomodo circa vtrunq; genus incontinentes dicimur?

Circa non neceſſaria, qui cupiditates ſuas recta ratione non continent: ex parte tantùm incontinentes dicuntur. Itaq; cùm eos nominamus, vtimur πρὸσθέσει, eius nimirum rei, cuius incontinentes ſunt: vt iræ, lucri, honorum. Circa neceſſaria verò vocantur abſolutè incontinentes. Quod enim in hoc genere peccatur: non ita leue erratum eſt, vt in priore:

priore: sed prauitas quædam. Quare etiam, ex illo quidam intemperantes, & nonnulli molles dici solent.

Num etiã alia ratione voluptates inter se differũt?

Quæ homines oblectare solent: eorum alia sua natura expetenda sunt: vt honor, lucrum, victoria: alia natura fugienda: vt esus humanarum carnium, incestus, cædes: alia intermedia: vt quæ per se nec expetenda nec fugienda sunt; expetũtur autẽ ex necessitate: vt alimentũ & venus, de quibus etiã modò diximꝰ.

Quomodo circa primum genus incontinentes dicimur?

Non absolutè, sed ex parte tantùm. Absolutè enim incontinentes dicimur in ijs rebus, in quibus simpliciter dicimur improbi. In hoc autem genere non simpliciter improbi dicimur. Nec enim talia simpliciter expetendo reprehendimur: sed quia supra modum expetimus. Siquidem illa per se bona & honesta videntur: & qui illa rectè expetunt magnopere commendantur.

Ac licèt in ijs incontinenter agentes incontinentes vocentur, propter similitudinem, quam cum simpliciter incontinente habent: vt tamen eos ab illo distinguamus, semper addimus nomen rei, circa quam se non continent. *Habes*

Cap. V.

Habésne alias voluptatum differentias?

Voluptatum aliæ percipiuntur ex rebus natura iucundis: aliæ ex ijs, quæ præter naturam iucundæ sunt. Voco autem natura iucundas, non tantùm, quæ per se expetuntur: vt honorem, lucrum, victoriam: verùm etiam quæ expetuntur ad conseruandam vitam, speciemq; animalis: vt Venerem & alimenta. Quarum quidem aliæ, simpliciter iucundæ sunt: vt quibus vniuersa capiuntur animalia; quædam alicui tantùm, vt quæ oblectant pro diuersis animalium hominumq; generibus.

Iam verò præter naturam iucundæ sunt: à quibus hominis animus sensusq; naturaliter abhorret. iucundæ verò sunt tantùm distortis & monstrosis ingenijs: idq; vel ex corrupta natura, vel morbo & insania, vel praua consuetudine.

Quomodò, circa præter naturam iucunda, incontinentes dicimur?

Non absolutè, sed secundum quid: quemadmodum etiam honorum & iræ incontinentes dicimur. Absolutè enim incontinentiæ locus est tantùm, vbi locum habet vulgaris improbitas, & intemperantia. Sed delectari ijs, quæ naturâ iucunda non sunt, nō vulgaris improbitas

bitas est: sed enormis quædam malitia. Dicuntur autem tales tantùm ob similitudinem: quam cum absolutè incontinentibus habere videntur.

Quotuplex est talis incontinentia?

Quemadmodum omnis improbitas, communes humanæ malitiæ terminos excedens: siue insignis quædam timiditas sit, siue enormis intemperantia, siue intolerabilis aliqua sæuitia, siue amētia: illa, inquam, vel ferina, vel morbosa est: ita quoq; hæc incontinentia, aut ferina incontinentia dicitur: vt cuius causa est improba hominis natura, & distortum ingenium: aut morbosa: vt quæ ex morbo, aut læsione aliqua contracta est.

Cap. VI.

Iráne an cupiditatum incontinentia peior est?

Cupiditatum incontinentia videtur peior. Iræ enim incontinens quodammodo rationem sequitur, siquidem ab ira vincitur, quæ rationem aliqua ex parte audit: in eo verò solùm peccat, quòd non totam exaudit: sed protinus ad vindictam properat.

Præterea, iræ incontinens sequitur appetitiones magis naturales. Est enim ira naturalior affectus: quàm immoderata & superuacua cupiditas.

Adhæc,

Adhæc, iræ incontinens candidior est, & magis apertus: quàm qui seruit suis cupiditatibus. Hic enim vt plurimùm insidiosus est, & fraudulentus.

Atq; hinc etiam est, quòd cupiditatum incontinentes magis odimus, magisq; illis irascimur: quàm qui iram aliquando tenere nequeunt.

Quarum verò cupiditatum est ista incontinentia?

Cùm cupiditatum aliæ humanæ sint, vt quæ naturales sunt, & genere & magnitudine: aliæ immanes seu ferinæ: vt quibus expetimus res non naturâ iucundas: aliæ deniq; morbosæ, quemadmodum ex modò dictis videre licet: scire oportet incontinentiam propriè humanis tantùm tribui. Siquidem circa illas versatur etiam intemperantia. Si autem ferinarum quoq; cupiditatum incontinentia esset: tum ea tribueretur etiam feris bestijs: vtpote quibus ferinæ cupiditates insunt: quas tamen, cùm ratione careant, incontinentes vocare non possumus.

Vtrum verò peius malum est: vitiúmne, an feritas?

Feritas quidem horribilius malum est: vitium tamen multò nocentius. Cùm

M enim

enim feritas ratione careat: vitium eam adhuc habet. Nec enim eam excludit sed tantùm corrumpit & hebetat, sibiq; ancillari cogit: eiusq; opera hominibus maxima damna dat. Vt ergo animatum malum multò nocentius est eo, quod caret anima: multoq; perniciosior est iniustus homo, quàm vel ipsa iniusticia: ita quoq; vitium ipsa feritate & nocentius est, & ea parte quoq; peius.

Cap. VII. *Quot sunt hominum genera, circa corporis voluptates & dolores versantia?*

CircaVeneris & gulæ voluptates, ac dolores illos oppositos, nonnulli tales sunt: vt vincantur ijs quæ pleriq; superant: quos quidem in doloribus molles: in voluptatibus incontinentes dicimus.

Alij verò ita sunt affecti, vt quibus plæriq; succumbunt, illi superiores sint: quos circa dolores patientes vocamus: circa voluptates verò continentes.

His autem accedunt alij quidam intermedij: quorum maxima pars est: qui cùm ea, quibus plæriq; superiores sunt, vincere possint: ijs tamen quibus alij vincuntur, & ipsi succumbunt.

Quot verò in vniuersum sunt genera eorum, qui circa dictas voluptates & dolores occupantur: & quomodo eos inter se distinguis?

Eorum

Eorum alij consultò agunt: vt temperantes, intemperantes, & ἀναίσθητοι, de quibus suprà diximus. Alij verò ex affectu: quo nimirum vehementissimo animum turbante, alij succumbunt voluptatibus, vt incontinentes: quibus opponitur continens: alij dolore vincuntur, ex absentis voluptatis cupiditate orto: quos molles vocamus: ijsque tolerantem, seu patientem opponimus.

Molles quotuplices sunt?

Horum duo sunt genera: alterum delicatorum: qui nimirum paruis quibusdam, & ridiculis succumbunt doloribus: vt qui inter ambulandum pallium tollere grauantur: ne tollendo sibi molestiam creent.

Alterum verò eorum, quos ioculares dicimus. Hos enim, cùm labores fugiant, & tantùm congressus ocio destinatos sectentur: magis molles, quàm vt quidam putant, intemperantes vocare ausim.

Quotuplices sunt incontinentes?

Quidam ob hoc solùm peccant: quòd circa voluptates temere & inconsultò versantur: ac inde, nil tale cogitantes, ab affectibus suis impelluntur ad turpia: quos temerarios, Græcè προπετεῖς, nominamus.

 Quidam

Quidam verò primùm ſibi proponunt, velle à peccatis abſtinere & honeſtè agere, poſtea verò improbis ſuis affectibus impulſi, voluptati ſuccumbunt: quos infirmos, Græcè ἀσθενεῖς, nominãt.

Cap. VIII. *Intemperantiáne, an incontinentia, peius malum eſt?*

Etſi ab initio, diſputandi cauſa, incontinentiam peiorem eſſe contendi: videtur tamen intemperantia multò deterior. Siquidem inſanabilis eſt, & pœnitentiam omnem excludit.

Cumq; incontinentia tantùm per interualla laceſſat hominem: intemperantia aſsiduè premit, animumq; ſine intermiſsione ad peccatum ſtimulat.

Tum etiam, cùm inter corruptos mores vitia peſsima ſint: intemperantia vitium eſt, incontinentia verò diuerſa quædam à vitio prauitas. Nec enim habentem latet, vt vitium: neq; coniunctum habet peccandi propoſitum, quale vitioſi habere ſolent.

Cur intemperantia non admittit pœnitentiam?

Quia pœnitentem oportet peccatum ſuum agnoſcere: & perſuaſum habere, quòd improbè egerit. Intemperans autem peccatum non agnoſcit: nec perſuaderi

ſuaderi poteſt, vt ſe peccaſſe credat. Morum namq́ principia, ex quibus turpitudinis ſuæ conuinci poſſet, per vitiũ ſuum iamdudum amiſit. Itaq́ nec peccati alicuius argui, nec meliùs inſtitui ſe patitur.

Ex incontinentibus verò, vtri peiores ſunt: infirmi ne, an temerarij.

Infirmi peiores ſunt. Patiuntur enim ſe vinci ab affectu leuiori: nec peccant ex incogitantia, vt illi, (quippe qui priùs deliberant: & ſibi cautè agendum non ignorant) ſed potiùs ex imbecillitate iudicij: quod ſibi etiam à leui perturbatione obtundi corrumpiq́ ſinunt.

Recténe veteres dixêre: continentem eſſe, qui in propoſito perſeueret: incontinentem verò, qui ab eo deſciſcat? Cap. IX.

Si rectè intelligantur: & verba nimis generaliter ſonantia, paulò diſtinctiùs explicentur, eorum opinio improbari non poteſt. Continens enim per ſe quidem in vera ſententia, & recto propoſito permanet: in quolibet autem, ac inde etiam in falſo, tantùm per accidens perſeuerat. Eodemq́ modo incontinens, per ſe veram tantùm ſententiam mutat: quamlibet autem, ac inde falſam quoq́, per accidens deſerit. Atq́ hoc modo puto veteres defendi poſſe: qui

alia suprà producta absurda euitare non poterunt.

Quomodò igitur distinguis continentem à viro pertinace?

Continens propositum suum tuetur tantùm contrà affectus suos, & improbas cupiditates. Aliâs enim, cùm rationes meliores audiuerit, moueri & flecti se patitur.

Pertinax autem in sua sententia perseuerat contra rationem & cõsilia meliora. Vbi enim semel cupiditati se obstrinxerit: nullis ampliùs rationibus persuaderi sibi patitur, vt mutet propositum.

Quomodo inter se differunt continens & incontinens?

Quemadmodum medius, & is qui modum excedit. Incontinens enim sententiam mutat, quia voluptatibus nimis est deditus: ideoq; excedere dicitur. Alius contrà mutat sententiam, quòd voluptatem nimis negligit: quem deficere dicimus. Continens autem mediũ tenet: cùm nec plus quàm par est, nec minus voluptati tribuat. Itaq; nec amore eius, nec odio nimio, à proposito suo discedit.

Quomodo differunt temperans & continens?

Temperans cupiditates habet paucas mode-

moderatas, easq́ rectæ rationi cōſentaneas. Continens autē cupiditatibus flagrat improbis, pertinacibus, & importunis.

Itaq́ temperans turpibus & iniuſtis rebus nec gaudet, nec afficitur: continens verò, licèt ab ijs abſtineat, illis tamen affici & delectari videtur.

Nùm verò quiuis ob voluptatem mutans ſententiam, incontinens dicendus eſt?

Incontinens propoſitum ſuum mutat, tantùm propter voluptates turpes: à quibus ipſe cum dedecore ſuo ſuperatur. Multi autem ſunt, qui id faciunt propter voluptatem honeſtam: vt, amorem veritatis, iuſticiæ, æquitatis: quorum gratia mutat ſententiam etiam vir prudens: quem tamen nemo intelligens incontinentem dixerit.

Num verò in virum prudentem non cadit incontinentia? Cap. X.

Etſi non deſunt, qui id fieri poſſe contendunt. certum tamen eſt, incontinentem ſimul prudentem eſſe non poſſe. Prudens enim vir bonus eſt, nec ſolùm ad res cognoſcendas iudicandasq́ idoneus: verùm etiam in ijs benè gerendis excellens eſt. Incontinens autem nec vir bonus, propter prauas ſuas cupiditates: nec in rebus gerendis

valet: cùm præceps agatur à suis affectibus. Itaq; licèt fortè solers dici posset: prudens tamen appellari non meretur.

Videbitur ergo incontinens vt improbus: idq́; maximè, cùm spontè peccet?

Spontè quidem peccat omnis incontinens: cùm, vt suprà dixi, quodammodo sciens peccet: improbus tamen (si rectè consideres) ideo dici non meretur. Siquidem improbus consultò malum agit: hic verò peccat tantùm ex perturbatione animi.

Cumq; improbus in peccato suo subdolus & insidiosus sit: hic apertè frena laxat cupiditatibus, ab insidijs & dolo alienus.

Tum improbi ratio planè corrupta est, & quò magis eam sequitur, eò grauiùs peccat: hic verò rationem adhuc sanã habet, & ob hoc solùm peccat, quòd animo perturbat⁹, eius dictamẽ negligit.

Quænam incontinentia cæterũ videtur insanabilior?

Ea quam infirmitatem suprà vocauimus, minùs sanabilis videtur, quàm temeritas: &, quæ natura inest minùs extirpari posse, quàm ea, quam praua consuetudine contraximus. Quòd enim cõsuetudo mutatu difficilis est: ob id solũ

fit,

sit, quòd quasi in naturam degenerat: quæ videtur omnem propè mutationem respuere.

Habitus morales intelligere me nunc puto: quid amplius mihi discendum restat? Cap. XI.

Superest nunc, vt etiam differamus de voluptate & dolore: tùm propterea quòd in bonorum, malorumq́ habentur numero, de quibus Ethico disputandum est: tùm quia virtuti morali, de qua hactenus disseruimus, subijciuntur: tùm verò maximè quia summum bonum, in quo explicando occupamur, plærique veteres cum voluptate coniunctum esse contendunt.

Audiui autem, esse quosdam, qui contrarium sentiant?

Nonnulli quidem reperti sunt: qui putârunt nullam voluptatem bonum esse, neque per se, neque per accidens. Bonũ enim habere rationem finis. Voluptatem verò nil aliud esse, quàm sensibilem quandam generationem ad naturam: ideoq́ à fine planè diuersam. Cumq́ omne bonum artis opus sit: voluptatem nullius artis opus esse. Præterea, ipsam, prudentiam (virtutem nimirum longè optimam,) impedire. Et, quod maximũ, eam à viro prudente negligi: à tem-

perante fugi: expeti autem tantùm à stultis & imprudentibus, & maximè à pueris & brutis exoptari.

Alij porrò paulò honestiùs de ea sentientes, docuêre, nonnullas bonas & expetendas esse: multas tamen interim malas & fugiendas. Multas enim turpes esse, probrosas, & noxias valetudini.

Tum, aliqui contendêre, si maximè voluptates omnes bonæ sint: fieri tamen non posse, vt summum bonum sit voluptas. Summum enim bonum, finem esse: voluptatem verò quiddam à fine diuersum videri. Esse enim ipsam quandam generationem, quæ ad finem ac perfectionem suam modò contendat.

Cap. XII. *Quæ tua est sententia de istis opinionibus?*

Quò meliùs intelligas, quid de opinionibus istis, deq; hac tota materia, sentiendum sit: scire primùm oportet: etsi omnis voluptas generatio quædam esset: non tamen effici, ipsam non bonam esse. Omnis enim generatio, omnisq; motio, aut absolutè, aut alicui bona est. Quæ autem nec absolutè, nec alicui bona & exoptabilis est, nisi fortè ad tempus: ea certè nec iucunda dici potest.

Deinde, non solùm generationes iu-

cundæ sunt: quæ nimirum ad naturam, vel habitum deficientem, aut ægrotantem sanandum & restituendum faciunt: vt edere & bibere. Hæ enim, cùm habeant coniunctum desiderium & dolorem, ac ob aliud oblectent, nimirum ob subsequentem restitutionem: tantùm per accidens iucundæ sunt.

Verùm multò magis iucundæ sunt functiones, quæ ex habitu, aut natura integra & perfecta, proficiscuntur: vt sani corporis exercitia, honestæ actiones, cõtemplatio & hisce similia. Quæ nec coniunctũ dolorẽ habent: nec ob aliud oblectãt: sed per se, suaq; natura iucũda sunt.

Num ergo primæ ac tertiæ opinionis argumenta reijcis?

Certè, dum voluptatem sensibilem generationem esse contendunt: paucis multa falsa dicunt. Vt enim ex modò dictis patet: vera voluptas nec generatio est, nec cum generatione coniuncta: sed functio potiùs, ex generato & perfecto proueniens.

Nec verum est, functionem omnem à fine suo diuersam esse. Etsi enim quæ generatio dicitur, à fine suo differt: cæteræ tamen, quæ ex natura aut habitu constituto proficiscuntur, finem suum in seipsis habent. Tum

Tum planè falsa est, quæ ab illis traditur, voluptatis definitio, cùm voluptas potiùs functio naturæ perfectæ non impedita, quàm naturæ deficientis sensibilis generatio dicenda sit.

Quid autem de secunda opinione sentis?

Quod voluptates sanitati nocentes, malas esse putant: absurdum videtur. Si enim omnes eas, quæ quodammodò nocent, improbare oporteret: sequeretur inde, salubres etiam, & proinde voluptates vniuersas, malas esse. Quòd enim insalubres valetudini nocent: id salubres nostris fortunis incommodant.

Præterea, hinc efficeretur, malam esse ipsam contemplationem. Illa enim, quamuis per se optimum bonum sit: crebrior tamen atque prolixior, manifestum valetudini nocumentum affert.

Quid verò ad reliqua primæ opinionis argumenta respondes?

Primùm, quòd voluptatem prudentiam impedire dicunt: verùm est tantùm de voluptatibus à prudentia alienis. Quæ enim prudentiæ propriæ sunt: eam adeò non impediunt, vt etiam ipsam egregiè iuuent.

Quòd autem putant, nullam voluptatem artis opus esse: omne autem bonum

bonum ab arte profectum: vtrumq; falsum est. Multa enim bona reperiuntur, quæ nullius artis opus sunt: & vicissim quædam artes voluptatem publicè profitentur.

Deniq; temperans voluptates non fugit: sed earum tantùm excessus. Prudens verò eas tantùm negligit, quibus coniunctus est aliquis dolor: quas tantùm per accidens delectare, modò dixi. Et has pueri & bruta etiam solas sectantur: cùm veras nec expetant, nec etiam intelligant.

Num ergo voluptatem bonum esse putas? Cap. XIII.

Quidni. Quod enim rei malæ ac fugiendæ, quatenus mala est opponitur: id necessariò bonum est. Voluptas autem dolori opponitur: quem malum esse omnes agnoscimus.

Num verò putas, summum bonum voluptatem esse:

Etsi in voluptate summum bonum non colloco, (quemadmodum deinceps auditurus es) in summo tamen bono voluptatem esse, ac ipsam summi boni rationem habere, me probaturum spero.

Primùm enim, omnis functio, impedimento carens, voluptas quædam est: vt ex voluptatis definitione patet. Summum

mum verò bonum talis functio esse videtur. Est enim functio, profecta ex habitu optimo, & præstantissima virtute: estq; bonum, omnibus numeris absolutum ac perfectum: & vt impedimentum omne amoueretur, superiùs externa bona illi tribuimus.

Præterea, in eo consensêre hactenus plærique omnes Philosophi, quòd vita beata iucunda sit: ac fœlicitatem cum voluptate vt plurimùm coniunxêre.

Adde, quòd cuncta animalia, tam bruta, quàm ratione prædita, voluptatem sectantur: id quod nunquam fieret, nisi summi boni rationem haberet.

Tum, si in summo bono voluptas nulla esset: fœlix certè sine voluptate viueret: eademq; de causa, viueret in dolore ac molestia: nec deniq; viri boni vita iucundior esset, quàm cuiuslibet flagitiosi hominis. Quæ cùm absurda sint: non dubito, summum bonum voluptatem esse: ac bonum longè iucundissimũ appellandum.

Quod de communi animalium consensu scribis, nil probare videtur. Diuersas enim sectantur voluptates: & eas solùm quas suprà non veras nominaueras?

Quòd

Quòd non veras sectantur: causa est, quòd veras ignorant. Diuersas autem expetunt, propter diuersas suas naturas & habitus. Quod enim cuiq; est vel secundum naturam, vel habitum suum: id illi iucundum est. Interim verò nihilominùs verum ac firmum manet, ea vniuersa voluptatem sectari. Et, si rem penitiùs consideremus: videntur non diuersas sectari: sed per diuersa oblectamenta, vnam quandam petere, quam ipsamet ignorāt. Videtur enim illis diuinum quiddam inesse, quod illa occulto quodam stimulo ad summum bonum expetendum impellit.

Cap. XIIII.

Num verò etiam corporis voluptates bonas esse putas?

Necessariæ quidem voluptates corporis (vt quæ alimenti, aut sobolis causa expetuntur) bonæ & expetendæ sunt. Si enim corporis dolor malus & fugiendus est: sequitur certè, corporis voluptates bonas, & prosequendas esse. Cùm autem corporis bona vniuersa talia sint, vt eorum nimium studium malum sit, & fugiendum: fit, vt etiam talium voluptatum excessus, id est voluptates superfluæ, malæ & fugiendæ sint.

Cur

Cur ergo vulgus illas adeò studiosè prosequitur?

Primùm, quia medentur corporis doloribus: quibus homines vexari solent. Cùm enim curationes, contrarijs fieri debeant: doloribus autem corporis, eiusdem voluptates, contrarij sint: videntur per ipsas dolores expelli, aut certè eorum sensus obtundi posse.

Deinde etiam, ad has confugiunt, quia veras & synceras voluptates, de quibus suprà dixi, ignorant. Cuius amplum argumentum est: quod famem & sitim de industria sæpè accersunt: modò vt cibus ac potus illis suauis, & iucundus sit.

Videntur ergo & hæ voluptates esse bonæ?

Imò ex hoc ipso patet, eas per se bonas dici non posse. Sunt enim aut corruptæ & prauæ naturæ titillationes, & hoc nomine reprehendendæ: aut certè naturæ deficientis medicinæ: quas tantùm per accidens bonas esse, suprà diximus.

Nùm verò illas sectari non licet?

Si noxiæ sunt, ac damnosæ, omninò prohibendæ sunt. Sin autem innoxiæ: vulgo indulgendas ac permittendas puto, propter perpetuas molestias, quas non solùm ex manifestis laboribus ac dolo-

ribus: verùm etiam ex sensuum functionibus, corporis incremento in iuuentute, & bilis punctionibus, percipere & pati oportet.

Quæ igitur veræ voluptates sunt?

Quæ percipiuntur, non ex rebus per accidens iucundis: vt quæ ad naturam deficientem restituendam, aut dolores mitigandos faciunt: sed ex ijs, quæ per se iucundæ sunt: vt, quæ ex natura iam integra & perfecta proficiscuntur. Hæ enim, nec dolorem coniunctum habent, nec excessum aliquem turpem admittunt.

Qui fit, quòd non idem semper iucundum est: sed adeò delectat varietas?

Primùm, quia natura nostra non simplex est: sed ex diuersis composita: quo fit; vt quod alteri parti iucundum est, alteri molestum euadat. Deinde, quia natura nostra corrupta est, & improba. Itaq;, vt improbus natura mutabilis est; ita nostra quoq; natura perpetuas voluptatum commutationes desiderat.

Liber octauus.

Num etiam doctrina de amicitia ad Ethicam pertinet? Cap. I.

VIdetur certè ad eam pertinere, non ſolùm, quia ad vitam tuendam eſt neceſſaria: verùm etiam, quia cum virtute coniuncta eſt: & rebus laudabilibus & honeſtis connumeratur. Nam homines amicorum ſtudioſos, laudamus: & viciſſim, à pluribus amicis coli, pulchrum ducimus: & eoſdem deniq; & amicos & viros bonos nominare conſueuimus.

Cur videtur ad vitam tuendam neceſſaria?

Primùm quidem, quia nulla vel fortunâ, vel ætate ea carere poſſumus: cùm & proſperis & aduerſis rebus: pariter & in iuuentute, & ætate virili, & ſenectute, amicos requiramus.

Deinde, quòd, cùm benè beateq; victurum, ſecundum naturam viuere oporteat: nil in rebus humanis ſit adeò ſecundum naturam, quàm amicitia. Id quod non ſolùm in brutis cernimus: verùm inprimis in hominibus.

Tùm etiam, quia boni principes, quorum fidei ſalus Reipublicæ commiſſa eſt, maiori cura tuentur amicitiam ciuium, quàm vel ipſam iuſticiam. Nec id ſine cauſa: cùm ea, non modò ad Rempublicam tuendam, iuſtitiæ præſtet,

verùm

verùm etiam id quod maximè propriè ius dicitur, ad amicitiam quàm proximè accedat.

Quid veteres sensêre de amicitia?

Empedocles quidem & plærique alij, putârunt: eam non posse nisi à similibus contrahi: quibus tamen alij contradixêre: arbitrantes, nuspiam maiores & crebriores simultates esse.

Ex dissimilibus autem & contrarijs, amicitiam conflari, Euripides & Heraclitus etiã Physicis argumentis probare conati sunt. Dixerunt enim, contraria se mutuò expetere: & illa quoque plurimùm prodesse sibi mutuò: & maximè concinnas compositiones ex differentibus fieri: & cuncta denique ex discordia nasci solere.

Præter hos autem, aliqui dixerunt, amicitiam tantùm à viris bonis contrahi, & coli posse.

Alij verò, amicitiæ vnam tantùm speciem fecerunt: siquidem magis ac minus recipiat: parùm cogitantes, etiam res specie differentes, magis minusque recipere.

De quibus tamen singulis, quid sentiendum sit, & quid in illis probari aut reprehendi debeat, suo loco audiemus.

Cap. II.

Circa quid versatur amicitia?

Quandoquidem amamus non rem quamlibet, sed eam tantùm, quæ amabilis est: videtur amicitia versari tantùm circa ipsum amabile, Græcè φιλητὸν dictum.

Est autem omne id, quod vel bonum est, vel iucundum, vel vtile. Voco autem hîc bonum & iucundum, non solùm quod absolutè, & simpliciter, verùm etiam quod alicui solùm tale est. Absolutè enim bonum & iucundum, est etiam absolutè amabile: alicui autem iucundum & bonum, alicui tantùm amabile est. Nec refert, siue reuera tale sit, siue talè modò appareat. Quod enim cuiq; vel bonum vel iucundum apparet, id etiam illi amabile esse cernimus.

Quid est amicitia?

Est mutuus quidam amor, seu beneuolentia: quæ vel virtutis, vel voluptatis, vel commodi causa suscipitur: mutuisq; officijs declaratur & colitur. Intelligo autem hîc amorem eum potissimùm: quo alicui non propter nos, sed propter ipsum, bene volumus: quem etiam mutuum esse, ac vtrinq; officijs declarari, ipsa amicitiæ natura postulat.

Quot sunt amicitiæ species? Cap. III.

Quando quidem tres sunt amabilium species: bonum siue honestum, iucundum, & vtile: horum verò nullum est, cuius causa non posit exerceri mutua beneuolentia, eaq; officijs mutuis declarari: fit, vt totidē sint species amicitiæ: quarum aliam honestam, aliam iucundam, aliam vtilem appellamus.

Sunt autem hæ species non vniuocæ, sed æquiuocæ. Etsi enim amicitiæ nomen illis commune est: non tamen ita communis est amicitiæ definitio. Propriè enim & per se tantùm honestæ competit: vt in qua amamus amicum, tantùm propter ipsum: hoc est, ob id solum, quòd vir bonus est,

Vtilis verò & iucunda, ex accidente tantùm amicitiæ sunt: & quòd ita vocantur, fit tantùm propter honestæ amicitiæ quandam similitudinem. Amamus enim in illis amicum, non per se, vel propter ipsum: sed propter nos, hoc est, quia ex illo percipimus vel voluptatem, vel commodum aliquod. Et hæc cùm in illo defecerint, amor quoq; desinit, & dissoluitur amicitia.

A quibus potißimùm, & quomodo colitur amicitia vtilis?

Hanc potissimùm senes colunt, & ex iuuenibus ij, qui quæstui student. Colunt autem eam vt plurimùm sine conuictu. Possunt enim à se mutuò commoda sua sine illo consequi, Cumq; ad conuictum requiratur, vt quis alicui iucundus sit: illi propter insitam morositatem, sibi mutuò iucundi non sunt, nisi quatenus alter ab altero lucrum expectat.

A quibus & quomodo colitur amicitia iucunda?

Hæc vt plurimùm colitur à iuuenibus. Cùm enim non ratione, sed affectu viuant: fit, vt nec, quod honestum, nec quid profuturum sit, considerent: sed id solum, quod in præsenti iucundum est.

Sunt autem in amicitijs suis inconstantes: & vt celeriter contrahunt amicitias: ita quoq; citò illas dissoluunt: idq; sæpe eodem die.

Sunt præterea ad venerem & amores admodũ procliues. A ffectu enim viuunt, & student voluptatibus: quibus duobus res amatoria maximè constat.

Et, vt senes in amicitijs suis conuictum negligunt: ita hi amicitiam nullam esse putant, nisi conuersentur. Itaq; totos dies, inq; multam vsq; noctem, simul viuere cupiunt.

Cur autem honestam tantùm amicitiam, perfectam esse, & propriè hoc nomen promereri, putas?

Primùm, quia colitur à viris bonis: qui vt per se boni sunt: ita quoque per se sibi mutuò benè volunt, demptis & voluptatibus & commodis.

Deinde, quia maximè stabilis est. Viri enim boni, quamdiu boni permanserint: tam diu etiam illorum amicitia permansura videtur.

Cumque virtute sint prædití: fit, vt habeant in se quicquid est amabile. Virtus enim & honestos facit, & iucundos, & amicis vtiles: & hæc quidem singula excellenter.

Tum quælibet res, quò plus temporis nacta fuerit, eò quoque perfectior euadit. Tempus enim cuncta maturat. Ad hanc verò amicitiam contrahendam plurimùm temporis requiritur. In eam enim non recipiuntur, nisi quos probè exploraueris, & probaueris: ad quod iusto temporis spacio opus est.

Cùm cæteræ species, ideo tantùm amicitiæ dicantur, quòd honestæ similes aliquo modo sint: scire cuperem, in quibusnam cum illa conueniant? Cap. IIII.

Primùm quidem, vt amicitia honesta & vtilitatem præstat, & voluptatem: ita earum altera vtilis, altera iucunda est.

Deinde, vt honesta, firma & constans est. ita hæ amicitiæ, quodammodo stabiles sunt. Licèt enim per se inconstantes sint, & momentaneæ: amor tamen in illis confirmari quodammodo & stabiliri potest.

Confirmatur autem primùm, cùm officia vtrinq; paria fuerint: eaq; deprompta ex eodem rerum genere: hoc est, cùm voluptas voluptate compensabitur: & commoda commodis, idq; pari mensura. Deinde, cùm tales amici, vel ijsdem fuerint ingenijs præditi, vel moribus suis mutuò assueuerint: eosq; amare cœperint. Sic enim amicitiæ, quamuis nõ honestæ, ad tempus durare poterũt.

In quibus verò ab ea differunt?

Vtilem quidem, & iucundam, contrahunt & improbi inter se, & boni cũ improbis, & cum vtrisq;, quos neutros vocamus. Honestam autem contrahunt & colunt inter se tantùm viri boni.

Præterea, in vtili & iucunda, locus est suspicionibus, calumnijs, iniurijs: à quibus honesta amicitia tuta est. In eam enim

enim recipiuntur tantùm exploratæ & perſpectæ fidei homines, inter quos talia locum non habent.

Inſuper, in dictis amicitijs, voluptas cum vtilitate raró coniungitur. Paucos enim tales iuuenias, qui vtiles pariter & iucundi ſint. In honeſta verò & voluptas ineſt, & vtilitas: cùm honeſtus amicus nobis tàm iucundus, quàm vtilis, eſſe poſsit.

Tum, vt ſuprà dixi, amicitiæ honeſtæ cultores, ſimpliciter amici ſunt, & per ſe: quemadmodum etiam per ſe viri boni ſunt. Qui autem cæteras colunt, amici ſunt per accidens, & ob aliud: nimirum, vel voluptatis, vel commodi ſui gratia.

In amicitia honeſta colenda, quot hominum genera reperiuntur? Cap. V.

Quidam actu, & reipſa amici ſunt: quidam tantùm habitu: quidã nec actu, nec habitu.

Et actu quidem amicos voco, qui non modò ſibi mutuò bene volunt: verùm etiam mutuis officijs, beneuolentiam ſuam declarant.

Habitu verò, qui non quidem mutuis vtuntur officijs: ita tamen affecti

sunt, vt, oblata benè merendi occasione, id cupidè videantur facturi.

At, nec actu nec habitu amici appellantur, qui vel ætate senes sunt, vel austerioribus præditi moribus: vel etiam locorum interuallo diutiùs disiuncti. Ad amicitiam enim colendam, conuictu opus est: cùm nil tam proprium sit amicitiæ, quàm conuersatio: qui verò locis disiuncti sunt, conuersari planè nequeunt. Tum, senes & austeri, ad conuictum inepti sunt, propter insitam morositatem. Quare licèt interdum nobis satis impigrè succurrant: videntur tamen beneuoli magis quàm amici appellari posse.

Nùm amor seu beneuolentia, non idem est, quod amicitia?

Amor videtur magis esse affectus, quàm habitus: vt qui confertur etiam in res inanimatas. Amicitia verò magis habitus est, Consistit enim in redamando: & in ea amatur amicus, non propter nos, sed per se: quorum vtrumq; consultò fit, ac propterea habitum postulat.

Cap. VI.

Fierine potest, vt quis cum pluribus colat amicitiam?

Honestam quidem multi simul colere nequeunt. Ad eam enim colendam, requi-

requiritur maximus amor: ſed multos ſimul amore maximo proſequi,non poſſumus.

Honeſtos præterea amicos ſibi mutuò placere oportet. Sed nec multis vnus, nec vni placere multi poſſunt. Oporteret enim illos omnes viros bonos eſſe: ac ijſdem ingenijs præditos.

Tum,in hanc amicitiam recipiuntur tantùm,quos probè explorauimus. Multos verò rectè explorare eſt impoſsibile. Nam illa res tempus poſtulat, & diuturnum conuictum: qui certè cum pluribus ſuſcipi non poteſt.

Nùm verò in vtili aut iucunda plures colere poſſumus?

Videtur id poſſe fieri. Vtilitatis enim aut voluptatis nomine, pluribus placere, pluribusq; vicißsim delectari, non eſt difficile. Nec etiam ita magni laboris, vtroq; nomine multos explorare: cùm & voluptates & commoda quiſq; (modò ſit idoneus) breui tempore ac citò præſtare nobis poſsit.

Quales autem quiſq; ſibi amicos quærit?

Cerdones quidem, & qui inopiæ propulſandæ, ac rebus ad vitam neceſſarijs parandis ſtudent: præ cæteris ſibi amicos

cos vtiles deligunt: & propterea amicitia illorum sordidior est.

Diuites autem & beati, magis iucundos desiderant. Quærunt enim cum quibus conuersentur, ac tempus fallant. Cū in iucundis autē, nemo conuersari cupit: præsertim quem necessitas non cogit.

Porrò, qui potestate sunt præditi: vtrisq; vtuntur: licèt illis diuisis. Alijs enim vtuntur ad voluptatem: alijs ad vtilitatem. Et id quidem facere coguntur: cùm amicos quærant, non qui honestè oblectent: sed scurras & moriones: nec etiam vtiles, qui ad honesta prosint: sed qui simpliciter ad exequenda iussa parati sint. Cumq; nec hi iucundi sint: nec illi vtiles: necesse est, vt eorum alios ad voluptatem conciliandam, alios ad commoda sua promouenda, quærant.

Atqui, si viros bonos sibi conciliarent, haberent, qui simul & iucundi & vtiles esse possent?

Cum talibus verò amicitiam illi rarò contrahunt. Oportet enim amicos æquales esse, vel proportione, vel numero: itaq; & hos inter se quodammodò æquari: vt, si maximè opibus pares non sint: attamen, quantum illi potentia & opibus excellunt, tantum vir bonus illos virtute,

virtute, ac sapientia superet: & illi hoc in ipso agnoscant. Hoc autem raro fit: & pauci hoc modo virtute præstant. Itaq; raro etiam potentibus cum viris bonis intercedit amicitia.

Num alio quoq; modo diuiditur amicitia? Cap. VII.

Si amici conditionem ac dignitatem spectes; amicitia alia erit inter amicos, dignitate ac amabilibus bonis æquales: vt, qui sibi mutuò pariter vel iucundi, vel vtiles, vel honesti sunt. Alia verò inter eos, quorum alter dignitate & bonis antecellit: qualis est inter principem & subditos, patrem & liberos, maritum & vxorem. Quorum singulæ species, cùm amorum causis, tum virtutibus, tum etiam officijs amicitiæ, non solùm à se inuicem, verùm pro amicorum differentijs, à se ipsis quoq;, distingui possunt.

Quomodo autem possunt inter se amicitiam colere, qui inæquales sunt?

Etsi dignitate & officijs æquales non sunt, possunt tamen æquari proportione, vt quò quisq; vel vtilior, vel iucundior, vel virtute præstantior fuerit: eò magis quoq; ametur & colatur: minùs verò redamare teneatur. Hoc enim modo, & æquales fieri, & amicitia inter ipsos conseruari poterit.

Vtra

Vtra perfectior est & constantior: eorúmne, qui dignitate, an qui proportione æquales sunt?

Quæ contrahitur inter eos, qui dignitate æquales sunt, perfectior est & constantior. Habet enim ista æqualitas, in amicitia locum potiorem. Videmus enim, si maior inter aliquos distantia fuerit, maiorq́; alicuius excellentia: amicitias non modò non conseruari: sed ne contrahi quidem posse. Siquidem nec angeli cum mortalibus, nec Reges cum infimæ fecis hominibus, nec cum optimis viris, qui pessimi sunt, amicitiam contrahunt.

Cùm ergo amicus maxima bona consecutus, amicus ampliùs esse non poßit: núm illi tanta exoptare teneor?

Etsi amico plurima, & quidem magna bona exoptanda, & etiam tribuenda sunt: non tamen sunt exoptanda maxima. Est enim antea dictum, quòd amicum amemus ipsius gratia: hoc est, quia talis aut talis sit: verbi gratia, prudens senator, commodus vicinus, bonus ciuis, & in summa, vir bonus. Si autem bona maxima consequeretur: veluti, si Rex fieret: aut exuta mortalitate, viueret cum beatis angelis: cessaret esse is, quem amauissemus.

uissemus, & quo cum amicitiam hacte-nus coluissemus.

Præterea, si amico bona maxima exoptanda essent: eodem iure illi optanda essent bona vniuersa. Vt autem amicitia inter nos coli possit: etiam nobis aliqua reseruata cupimus, & quidem optima: veluti, sapientiam, virtutem, prudentiam: quæ summa & præstantissima esse ipse nosti.

In cóne quòd amas, an quòd amaris, vis amicitiæ magis est posita? Cap. VIII.

In eo quòd amo. Id enim patet in ea amicitia quæ arctissima est, matris & filij. Mater enim, cùm filium amare magnopere gaudeat: sæpè tamen redamari negligit: modò suum erga ipsum amorem possit exercere, filijq; futura incommoda auertere.

Videmus præterea, in amicitia laudari, non qui amantur maximè: sed qui ardentissimè amant. Ex quo manifestum est, amicitiæ munus magis esse amare, quàm amari: vimq; eius non tam in hoc, quàm in illo, esse positam.

Cur ergo vulgus amari mauult?

Quia putat, hoc sibi futurum honori; quem ipse pluris facit, & amori præstare putat. Ideoq; tantopere delectatur adula-

adulatoribus: quippe qui ſuos amicos honorando colunt.

In eo autem vulgus amoris præſtantiam manifeſtè neſcit. Amor enim eſt res per ſe exoptabilis: cùm honor expetatur non per ſe, ſed ſemper ob aliud. Honorari enim gaudemus: aut, vt inde confirmemus propriæ virtutis conſcientiam, vt cùm honoramur à viris bonis: aut propter ſpem accipiendi aliquando beneficij: vt, cùm à potentibus, aut opulentis nos honorari cernimus.

Quomodò autem ea, quæ inter inæquales eſt, amicitia ſtabilis eſſe poteſt?

Si mutuus amor inſtituatur ſecundum proportionem: vt, ſi, quò quiſque dignior eſt, eò magis ipſum ames, eoque pluribus obſequijs colas. Hoc autem modo maximè conſtans erit amicitia bonorum. Cùm enim illi per ſe conſtantes ſint: erunt etiam conſtantes in colenda mutua beneuolentia. Cumque plæræque tales amicitiæ ſoluantur: cùm ſuperior improba & iniuſta, vel egerit, vel ab altero poſtulârit: boni non modò peccata nulla admittent, aut etiam ab amicis admitti cupient: verùm etiam illa diligenter prohibebunt.

Qui verò vtilem aut iucundam colunt:

ſunt: ſæpe quidem improba agunt, & multoties quoq; ſibijpſis non conſtant: eaq; de cauſa faciliùs quoq; diſſoluitur illorum amicitia: quamdiu tamen vel voluptates, vel commoda à ſe mutuò conſequentur, ex dicta proportione: amicitiam inter ſe colere poterunt.

Num vt Euripides putauit, amicitia ex contrarijs conflari poteſt?

Videtur certè ea, quæ vtilis dicitur, ex contrarijs conſtare: veluti, quam diues cum paupere, doctus cum indocto contrahit. Similiter & quæ contrahitur ob voluptatem: vt cùm deformis formoſam amat: aut formoſus eam, quæ deformis eſt.

Veruntamen, amicitia vera, quæ honeſta dicitur, ex contrarijs non conflatur. Et quod Euripides dicit, contraria ſe mutuò expetere: per accidens fit, & ob aliud. Petunt enim illa non ſe mutuò: ſed vtrunq; ex alterius contemperatione, ſuam mediocritatem, ſeu temperamentum: in quo ſalus eius eſt poſita. Sed hæc ad Phyſicos pertinent.

Quò facilius intelligam inæqualium amicitiarum explicationem: dic mihi, quódnam eſt ſubiectum amicitiæ? Cap. IX.

Quòd in societate consistat omnis amicitia, primùm inde patet, quòd in eadem consistit ipsum ius. Amicitiæ enim,& iuri idem esse subiectum, ex superioribus patet.

Deinde idem testatur communis loquendi consuetudo; cum tribules, commilitones, simul nauigantes, & quauis alia societate nobis coniunctos, amicos appellemus.

Est autem in societatibus amicitia ratione communionis. Quanta enim ipsa est, tam latè patet & amicitia. Nam & ius tam latè patet. Et hinc etiam prouerbium natum est: κοινὰ τὰ φίλων, id est, amicorum bona communia.

An non eadem est in societatibus rerum communio?

Non. Quibusdam enim cuncta communia sunt, vt fratribus & sodalibus: quibusdam certa quædam ac distincta, alijsq; plura, alijs pauciora.

Atq; hinc amicitiæ quoq; differunt: & in his etiam ipsa iura. Non .n. idem ius est Patri cum liberis, quod fratribus inter ipsos: neq; ciuibus & sodalibus. Quin etiam iniuriæ hinc incrementa sumunt. Grauiùs enim semper est, pecunia fraudare sodalē, quàm ciuem: fratrem desererere,

rere, quàm alienum: & patrem pulsare, quàm quemuis alium.

Ad quam verò illæ societates potissimùm referuntur?

Ad societatem ciuilem, cuius illę quasi partes seu membra sunt. Cùm enim earum singulis, aut Diuini Numinis cultus, aut voluptas, aut commodũ aliquod sit propositum: ciuilis societas præstat hæc vniuersa pariter, Nec solùm certam aliquam, vel voluptatem, vel vtilitatem procurat: sed omnis generis & oblectamenta & commoda, eaq; ad omnem vitam pertinentia: tum anniuersaria & solennia sacra: quorum in templis publicè ad id extructis, omnes pietatis studiosi participes fieri possunt.

Quas species habet ciuilis societas? Cap. X.

Sanæ quidem & incorruptæ sunt, Regnum, Aristocratia & Timocratia. Et Regnum quidem est, in quo Respublica pendet à nutu vnius, qui Rex dicitur. Aristocratia seu optimatum principatus, in quo primas tenent, qui cæteris consilio & virtute præstant. Timocratia verò, quæ ex censu potestas dicitur, vbi tenuioris fortunæ ciues, ditioribus obtemperant.

Num verò hæ aliquando corrumpi possunt?

Certè, si non rectè administrantur, in vitiosas degenerant. Regnum enim Tyrannis euadit, in qua vnius dominio tota Respublica premitur. Aristocratia transit in Oligarchiam: id est, paucorũ potentiam, vt qua pauci quidam improbi, rerum potiuntur. Tum, quæ Timocratia dicitur, Democratia quædam fit. In qua summi momenti negocia, populi arbitrio suscipi conficiq; solent.

Quomodo quæso Rebuspub. accidit ista corruptio?

Tyrannis quidem inuehitur, cùm is q dominatur, communi salute neglecta, suas tantùm opes ac dignitatẽ respicit.

Oligarchia verò, cùm in præmijs & pœnis non habetur respectus meritorũ: & qui rerum potiuntur, bona publica conuertunt in priuatos vsus: item dignitates & officia ijsdem semper conferunt: idq; inprimis agũt, vt ipsi ditescãt.

Deniq; Democratia, id est, popularis status efficitur: cùm ad Rempub. accessuris, minor census mensura præscribitur. Ita enim fit, vt quibuslibet pateat aditus ad Rempublicam, ac ita rerũ omnium potestas ad populum deuoluitur.

Quas species habet societas domestica?

Speci-

Species eius ciuilibus modò dictis respondent. Prima enim & arctissima est societas patris cum filijs, quæ Regni speciem præbet. Cumq; pater in liberos durior fuerit: degenerat in Tyrannidem: quemadmodum etiam tyrannica est societas heri cum seruo. Honesta quidem hæc; illa verò, impia & reprehendenda.

Secunda, est mariti & vxoris, quæ Aristocratia quædam est: cumq; corrupta fuerit, Oligarchiam imitatur: vt, cùm vel vxor dominatur propter amplitudinem dotis: vel maritus omnium potestatem insolenter sibi soli arrogat.

Tertia, fratrum est: qui, si æquales fuerint, Timocratiam efficiunt. At si vel Domino caruerint, vel illum minùs cordatum habuerint; Democratiam constituunt.

Qualis igitur intercedit amicitia Regi cum subditis, & qualis patri cum filijs? Cap. XI.

Hæ amicitiæ positæ sunt in excellentia beneficiorum, Rex enim subditorum suorum curam gerit, & confert in illos beneficia longè maxima. Efficit enim prudentia, & virtute sua, vt bene beateq; viuant. Pater verò filijs etiam vitam largitur: ac disciplinam & alimenta suppe-

 ditat.

ditat. Quæ omnia cùm summa sint: par est, vt vicissim à subditis filijsúe suis accuratè colantur: idq; tantò magis, quantò maiora hæc cunctis alijs, quantoq; præstantiora sunt: nec amentur tantùm: verùm etiam honor ipsis, & cultus, ac obsequium præstetur.

Qualis amicitia colitur in Aristocratia & coniugio?

Hæ amicitiæ æstimantur virtute: quæ quantò maior in aliquo est: tantò pluribus ille, tantoq; maioribus obsequijs officijsq; colitur: & ita quisq; consequitur, quo dignus est.

Qualis est in Timocratia, & inter fratres amicitia?

Fratrum amicitia refert eam, quæ à sodalibus colitur. Cùm enim pares sint, & æquales ætate: vt plurimùm etiam ijsdem studijs dediti sunt, ijsdemq; præditi moribus.

Talis verò amicitia colitur etiam in Timocratia. Nam & ibi ciues pares: & inter se boni & æquanimes, esse cupiunt: & propterea pariter ac certis inter se vicibus imperant.

Qualis est amicitia in societatibus corruptis?

Quan-

Quantum in quauis societate iuris est; tantum est & amicitiæ: at in corruptis nihil iuris est, aut sanè perparum. Etsi enim in democratia, in qua ciuibus multa sunt communia, iuri locus aliquis est: in cæteris tamen admodum parùm valet, & planè nihil Tyrannide. Tyrannis enim cum subdito, vt nihil commune, ita nec ius aliquod habet: eademq; de causa, nec hero intercedit amicitia cum seruo: quatenus quidem ille seruus est. Nec enim communio nec ius aliquod intercedit: sed si quod est, naturale illud est: quo vniuersi, quatenus homines sumus, nobis mutuò sumus deuincti: & aliqua inter nos communicamus.

Num ergo in omnibus amicitijs communio requiritur? Cap. XII.

Nulla certè est, in qua non quædam communicentur. Et in alijs quidem communio illa manifesta est: quæ nimirum consensu quodam & pacto constat: vt in amicitijs ciuium, tribulum, mercatorum. In alijs verò obscura & latens: vt in cognatorum, sodalium, affinium, & in summa, domesticorum seu propinquorum amicitijs, quæ scilicet magis naturá, quam pacto constant.

Quotuplices sunt amicitiæ domesticæ?

Harum aliæ cognatorum sunt, aliæ affinium: & ambarum tot species, quot & consanguinitatis & affinitatis gradus.

Vt autem affinium amicitiæ, ad coniugalem referuntur: ita amicitiæ cognatorum, ad paternam amicitiam. Ab ea enim illæ pendent: & ex ea quoque inter se distinguuntur: & quò propinquior illi quælibet est: eò arctior quoque est, eoque maior in ea rerum communio.

Quam ergo causam habet amicitia paterna?

Ea pendet à φιλαυτία, hoc est, ab amore sui ipsius. Amant enim parentes suos filios, tanquam aliquid sui: & vicissim filij parentes, vt eos, ex quibus illi prognati sunt.

Vtrius verò amor maior est?

Etsi quantò maiora sunt parentum beneficia: tantò maiorem oporteret esse filiorum amorem: parentes tamen liberos suos magis amant, idque non sine causa. Primũ enim pater certior est, hunc esse filium: quàm filius, ipsum patrem esse.

Deinde, procreans erga procreatum maiore semper amore afficitur: quàm vicissim. Est enim id quod procreatum est procreantis proprium: atqui propria nobis semper chariora sunt.

Tum

Tum quoque filium Pater diutiùs amauit, quàm ab eodem amatus est. Amare enim cœpit quam primum in lucē prodijt: cùm ille modò cœperit, ex quo rationis vsum consecutus est.

Quæ sunt causæ amicitiæ fratrum?

Præcipua eius causa, est amicitia paterna, modò dicta. Est enim illis communis parens: cū quo, cùm singuli quasi idem sint: fitque, vt etiam inter se quodammodo vniantur.

Huic autem accedit, quòd ad conciliandos animos multùm potest, communis educatio, ætas æqualis, & conuictus asiduus: quibus etiam sodales, nullo sanguine iunctos, ad mutuum amorem inuitari cernimus.

Quibus officijs colitur paterna amicitia?

In ea communicantur res longè maximæ. Filij enim à parentibus vitam accipiunt: ac ab ijs nutriuntur: & instituuntur ad vitam benè beateque tuendam.

Quæ cùm summa sint: hi vicissim ab ipsis non amantur solùm: verùm etiam vt Dij coluntur & suspiciuntur: vt paulò antè dixi, ideoque ab illis accipiunt, quod inter externa ha etur bonum maximum, honorem.

Porrò, amicitiæ huic nó modò honestas inest, verùm & vtilitas & voluptas: & hæc singula tantò magis, quantò maior inter hos est, quàm inter cæteros, vitæ communitas.

Quibus rebus colitur amicitia fratrum?

His præstantur omnia, quæ sodalibus: idq; si commodis fuerint præditi moribus, tantò magis, quantò propinquiores, quantoque sibi inuicem chariores, quantò etiam moribus similiores sunt, (quippe qui ex ijsdem nati, simul educati & instituti sunt) seque mutuò à teneris annis magis explorârunt.

Quæ causæ sunt amicitiæ coniugalis, & quibus officijs ipsa colitur?

Prima & potissima causa est, ipsa natura. Est enim homo ad coniugalem vitam magis natus, quàm ad ciuilem. Siquidem & domus ciuitate prior est, magisq; necessaria: & sobolis propagatio, quæ in coniugio spectatur, animalibus communior.

Altera est, maior vitæ commoditas, & rerum necessariarum facilior acquisitio. Nupti enim, non tantùm sua bona communicant: verùm etiam mutuas tradunt operas ad vitam benè tuendam, & alter alteri, pro facultate sua inseruit: quò ipsi benè fit.

Itaq; in hac amicitia continetur, quicquid est amabile. Nam & voluptas inest, & vtilitas: imò & honestas, si boni fuerint. Sunt enim vtriq; suæ virtutes, quibus alter alterum colere & oblectare potest.

Quo autem vinculo continetur hæc amicitia?

Quemadmodum fratres coniungit idem parens: ita coniuges communis proles copulat. Et hinc fit, vt liberis orbi, & frigidiùs ament, & faciliùs quoque discedant.

Quomodo iam singuli amici colendi sunt? Cap. XIII.

Quemadmodum non idem ius inter omnes est: ita nec idem modus colendæ amicitiæ: nimisq; operosum foret, singula in specie persequi. In genere autem, opera danda est, vt suum cuiq; tribuatur: & quemadmodum priùs dictum est, paribus quidem paria præstentur officia: præstantiores autem obsequijs colantur: quæ ipsorum beneficijs, quoad fieri potest, proportione respondeant.

Nunquid inter amicos, aliquando criminationes & querelæ oriuntur?

Inter honestos quidem, criminationes nullæ sunt. Illi enim sibi mutuò benè volunt: ac inter se contendunt de

sola beneficentia: qua qui vincit, habet quod cupiebat: qui verò vincitur, magnas debet amico gratias.

Qui autem ob voluptatem colunt amicitiam: ij aut consequuntur eam à se inuicem: vbi quod conquerantur non habent: aut non consequuntur: ob quā causam possunt vtrinque discedere, & soluere amicitiam.

Criminationes ergò & querelæ sunt inter eos tantùm, qui amicitiam colunt propter vtilitatem. In ea enim non infrequenter fit, vt amicorum alter plura desideret, quàm alter præstare vel possit, vel velit. Ex quo necesse est, vt alter petita neget officia: alter se verò indignè negligi conqueratur.

Quando & quomodo potißimum istæ querelæ oriuntur?

Cùm vtilis amicitiæ species inter se confunduntur; & in alia quidem præstatur officium, aut munus datur: eius verò pòst, ex alia compensatio petitur.

Cùm enim duæ sint vtilis amicitiæ species: altera quidem legitima dicta: in qua res communicantur annexa conditione remunerationis: altera verò moralis: qua communicantur sine conditione, & quasi ex beneuolentia: inueniuntur

tur iam qui, cúm verbo quidem donârint, quasi ex singulari beneuolentia gratificantes: reuera tamen expectant legitimam compensationem: quasi non ex morali amicitia dono dederint: sed ex legitima tantùm mutuârint. Vnde iam necesse est, si alter vel paulò parciùs compensauerit, querelas & criminationes oriri.

Quomodo hisce querelis occurrendum est?

Ab initio quidem videndum est, quis ille sit, qui munus aut operam suam offert, & quo animo id faciat: vt ea conditione oblatū, aut accipias, aut recuses. Cùm autem iam acceperis, ac serò demum deprehenderis, ipsum spe præmij obtulisse munus: id quod accepisti (si modò potes) referre & compensare debes: haud secus ac si emisses in foro. Accepisti enim ab eo qui nec amicus est, nec amicitiæ causa munus obtulit.

Acceptum beneficium, quomodo in amicitijs æstimandum est: animóne dantis, an accipientis commodo?

In vtili quidem amicitia (de qua hîc loquor) spectandum est commodum accipientis. Quantum enim quisq; contulit: tantum etiam debet recipere: videtur

detur autem tantum contulisse amicus, quantum id alteri profuit. Quare quantum profuit, tantum etiam, aut (quod honestius est) paulò ampliùs, danti rependere debet.

Cæterùm, in honesta, quamuis vt dixi, rixæ metuendæ non sint: referendum tamen est præstitum officium: æstimandum autem, non accipientis commodo: sed animo consilioq; dantis. Ibi enim remunerāda est amici virtus & benignitas: quæ ex animo consilijsq; eius elucet.

Cap. XIIII. *Súntne etiam querelæ inter amicos impares?*

Maximè. In ijs enim, & superior & inferior sibi plus tribuit. Superior enim putat, id virtuti beneficijsq; suis deberi: & iniquum fore, si non referantur gratiæ pro meritis: imò futuram hoc modo famulitio similem amicitiam.

Inferior autem putat, amici officium esse, amico indigenti opem ferre: & pauperes superiorum ac ditiorum amicitias frustra culturos: nisi ab illis ipsorum inopia subleuaretur.

Quomodo hæc lis componi poterit?

Si rectè perpendas: neuter iniquum postulat. Plus enim meretur vterq;. Superior quidem plus honoris & obsequiorum: inferior autem plus commodorū & pecuniæ. Pri-

Priùs enim dictum eſt, in amicitijs imparibus, cuiq; tribuendũ, quo dignus eſt. Si autem ſuperior inferiorem iuuerit: & hic illum viciſsim pro beneficijs collatis honorârit: videtur vterq;, quod ſibi competit, iam conſecutus. Eſt enim honor, beneficentiæ omniſq; virtutis præmium: pecunia verò, opportuniſsimum egenti amico præſidium. Cumq; eodem modo ſit colenda amicitia, quo ius in ciuitate colitur: idem omninò in ciuitatibus moris eſt: quippe cùm in Republica excellentes viri, deq; Republica benè meriti, dignitates accipiant: plebs vitæ ſubſidia, & commoda conſequitur.

Num honor ad ſuperiorum beneficia compenſanda ſufficit?

Etſi propter beneficiorum excellentiam, non ſemper ſufficit: cùm tamen amplius præſtari nequeat: amicus illo contentus eſſe debet. Sunt enim, quibus pro collatis beneficijs nullus honor ſatis eſt: vt Deus, & quos nobis dedit, parentes: quos pro dignitate colere nemo poteſt. Sufficit autem ad pietatem, ſi illos pro viribus coluerimus.

Num filio patrem aliquando abdicare licet?

Etſi

Etſi pater filium abdicare certas ob cauſas poteſt: filio tamen viciſsim abdicare patrem, fas non eſt. Debitor enim creditorem abdicare non poteſt, quamdiu illi debet. Filius autem, per omnem vitam eſt patris debitor: & quicquid modò illi præſtiterit, nil tamen vnquam conferre poterit, quo illi pro collatis beneficijs ſatisfaciat.

Liber nonus.

Cap. I. *Cùm iam nôrim, qua ratione amici tum pares, tum impares colendi ſint: dic mihi nunc, quomodo diſpares amicos colere debeam?*

DIſpares amicos, quorum alter voluptatem ſpectat, alter virtutem: eos, inquam, colere oportet, adhibita dicta proportione. Et quemadmodum in ciuitate textor & ſutor contrahunt: vt quò precioſior alterius merx fuerit: eò pluribus vicibus alter ſuas in permutatione multiplicet: ita quoq; diſparium amicorum officia, proportione æquanda ſunt: vt alterius præſtantia, alterius multiplicatis obſequijs compenſetur.

Sunt

Suntne inter illos etiam querelæ & expostulationes?

Certè sunt, & illæ quidem non infrequentes. Sæpe enim queritur alter, se non redamari pari amoris affectu: licèt fortè non sit perinde amabilis. Sæpe etiam alter alterum accusat, de non seruata fide: cùm ab initio, tantùm non auri montes sit pollicitus.

Tum inter se quoque dissident: cùm alter quidem remunerationem consequitur: sed non eius generis quod expectabat: id enim ipsi perindè est, ac si nil consecutus esset.

Quomodo his querelis occurrendum est?

Accepto vel munere, vel officio, nil potius nobis esse debet, quàm vt amicũ remuneremur: idq; non solum debita mensura, qua pro collatis dignè respondeamus: verùm etiam eo bonorum genere, quod à nobis expectatur.

Quid autem expectet amicus, facilè cognoscemus, si animaduertamus, quo tum ille inprimis indigeat. Quo enim quisque indiget: eius gratia quoque contrahit cum hominibus, & eiusdem expectatione motus amicis gratificari studet.

Qualis autem huic remunerationi mensura constituenda est?

In amicitia quidem, quam suprà legitimam vocauimus, si rei datæ precium expressum non est: æstimatio permissa videtur arbitrio accipientis. Si autem nominatum est precium: mensura remunerationis erit accipientis promisio: vt nimirum tantum reddat, quantum se redditurum receperat. Qui enim promissis non stat: non modò non amicus, sed ne vir bonus quidem est.

Iam verò in amicitia morali, videndū quo animo amicus aliquid contulerit: ex beneuolentiáne, an spe remunerationis. Si enim id fecit tantùm amico liberaliq; animo: respicienda est eius erga nos voluntas & studium: & illi vicissim pro eo, ac possumus, gratificandum. Vbi enim remunerationem sperauit: tanto remunerandus erit, quantum ambobus æquum videbitur.

Si verò inter illos non conueniat?

In tali casu, non modò necessarium, sed etiam æquum videtur: vt qui dedit acquiescat iudicio accipientis: vt quantum hic accepit inde commodi, aut quanti voluptatem emisset: tantum ille recipiat.

Videmus enim idem in foro fieri inter contrahentes: vbi venditor ex emtoris arbitrio contrahit. Et

Et in quibusdam locis leges vetant, de talibus exerceri iudicia: quasi cuius quis fidem secutus sit: ad eius quoque arbitrium transigere debeat.

Tum, accipiens æquior iudex futurus videtur, quàm qui dedit: cùm sua quisque maximi æstimanda putet, sæpeque plus iusto extollat.

In æstimatione autem perpendere debet accipiens: non quanti iam videatur, dum possidet: sed quanti videbatur, cùm adhuc indigeret. Indigentia enim certissima talium mensura est: multoque sinceriùs res æstimant, qui illis adhuc indigent, quàm qui iam possident.

Quid ergo parentibus, quid fratribus & sodalibus, quid denique cognatis, cæterisque amicis tribuendum est? Cap. II.

Parentibus quidem, qui nobis & vitam & victum dedêre, tribuenda sunt alimenta: dandaque opera, ne egeant. Præterea honor ipsis deferendus: qualis quidem vtrique pro sua persona sexuque competit.

Fratribus autem & sodalibus, non solùm communio permittenda rerū omnium (vt suprà dictum) verùm etiā orationis inter ipsos libertas, liberè nimirum

animi ſententiam aperiendi: ſeq́ꝫ mutuò amicè reprehendendi & caſtigandi.

Cognatis verò & affinibus, tribuenda ſunt ea inprimis officia, quæ ad generis & familiæ vel honorem, vel propagationem pertinent: veluti, cùm ornamus noſtra præſentia illorum nuptias, aut parentalibus illorum adeſſe dignamur.

Tum, quò quiſq; eſt vel virtute præſtantior, vel nobis coniunctior, vel plus de nobis meritus: eò plus etiam beneuolentiæ, honoris & officiorum illi præſtandum eſt.

Putabam autem, intimis amicis indifferenter cuncta tribuenda eſſe?

Non ignoro, hîc aliquos hallucinatos eſſe, & inde quæſtiones ortas: an ſcilicet patri cuncta tribuenda ſint, & obediendum in omnibus: viro bonóne, an amico potiùs benefaciendum: & amicóne gratificandum, an potiùs benefactori referenda gratia: ſi vtriq; ſatisfacere nequeas. Ad quæ tamen cum Ariſtotele rectè & piè reſpondemus: quemadmodum olim nec Ioui, licèt optimus maximus ſit habitus, cuncta immolabantur: ita nec amico vni cuncta præſtanda officia: ſed aliqua reſeruanda viris bonis: imò nec patrem in cunctis reſpiciendū.

In

In bello enim, vbi de imperatore præficiendo agitur: honorem istum deferendum disciplinæ militaris perito. In morbo autem, potiùs Medico salutare danti consilium, morem gerendum esse.

Id verò imprimis scire cupio: amicóne gratificandum: an potius benè merito gratia referenda sit?

Quemadmodum vir bonus mutuum priùs reddere debet, quàm in alium esse liberalis: ita quoq; videtur acceptum beneficium, cùm quasi mutuum quoddam sit, potiùs referendum.

Sunt tamen casus quidam, in quibus secus agere, non tantùm vtilius est: verùm & honestius, & magis necessarium.

Si enim cum eo, qui te aliquando ab hoste redemit, etiam pater sit captus: patrem liberare honestius est.

Ita si benefactor vir improbus fuerit: pulchrius certè videbitur & honestius, opem ferre amico, viro bono.

Tum, si, qui dedit mutuum, incertæ fidei sit: non inhonestè egeris, si vicissim petenti aliquando negâris. Dabat enim ille certus se sua recepturum. Si verò tu illi dares: dubium foret, an ille redditurus esset.

Cap. III. *Licétne aliquando ab amico discedere, ac dissoluere amicitiam?*

Vtilem quidem & iucundam dissoluere, duas ob causas licere puto. Alterā quidem, cùm amicus, quem vel ob vtilitatem, vel ob voluptatem amaueramus, nobis vtilis aut iucundus esse desierit, ac amiserit id, cuius gratia cum illo amicitiam contraxeramus.

Alteram verò cùm deprehenderimus, eum aliam nobiscum amicitiam colere, quàm ille hactenus præ se tulit: vt, cùm simulârit se admirari nostras virtutes, aut sapientiam: tacitè verò, aut voluptatem, aut pecunias nostras captauerit.

Quas verò ob causas honesta amicitia dissoluitur?

Primùm quidem, si alter amicorum proiecta virtute, improbus euaserit: aut etiam aliquo scelere se obstrinxerit: nec à nobis (quod tamen ante omnia studiosè tentandum) corrigi & emendari poterit.

Deinde, si alter amicorum in honestis studijs tantùm profecerit: vt euadat eruditione, virtute, prudentia, præstantissimus: alter verò in primis virtutum elementis substiterit. Tales enim, cùm moribus, voluntate, studijsq; ampliùs con-

consentire nequeant: fit, vt nec amicitiam, quæ hæc omninò requirit, colere inter se possint.

Num verò amicus, post discessionem hanc, planè negligendus est?

Si discessionis istius causa fuerit amici simplicitas: aut, (quod etiam in prædictis vsu venit) aliquod infortunium: non autem improbitas, aut scelus aliquod: veteris certè amicitiæ habenda ratio est: & si quando se nobis obtulerit occasio illi gratificandi: officium illi, vel propter veterem consuetudinem præstandum est, ac præ cæteris illi gratificandum.

Quibus studijs & officijs amicitia colitur? Cap. IIII.

Ijs potissimùm, quæ quisq; sibi ipsi exoptat, ac tribuit: vt sunt, amico benè velle: eidem benefacere: idem cum ipso sentire: eius saluti studere: delectari eius consuetudine: illiq; compati, hoc est, condolere in aduersis, secundis verò ex animo cum illo lætari. Certum enim est, quemlibet virum bonum (eius enim exemplum, ceu verissimam morum mensuram, nobis rectè proponimus) ita erga seipsum affectum esse: & hæc ipsa sibi exoptare ac tribuere. Itaq; erga amicum quoq;, vt qui nihil aliud est, quàm alter idem, hoc modo afficitur.

Videtur autem vir bonus nihil minus, quàm hoc modo erga seipsum affectus esse?

Imò nulli alij sunt, qui magis hoc modo erga seipsos affecti sint: aut modò dicta, magis sibijpsis exoptent. Vir bonus enim saluti suæ studet, vt quisquam alius: cùm maximè saluã cupiat eam sui partem, qua sapit & res gerit, hoc est, ipsam mentem: quæ ipsemet homo est.

Deinde sibijpsi & benè vult, & benè facit: idq́ non more vulgi, externa tantùm bona sectantis. Siquidem, quæ verè bona sunt, pietatem, sapientiam, virtutẽ præcipuè & expetit, & sibi ꝓcurat.

Præterea, sibijpsi quoque consentit. Verum enim bonum, non altera tantùm sui parte, ac dubitanter, sed toto animo totoq́ pectore, sibi exoptat.

Et hinc etiam fit, vt sibi compatiatur, id est, doleat & lætetur vnà secum maximè. Idem enim illi iucundum est, idemque molestum semper, nec aliàs aliud.

Deniq́, secum habitare, secumq́ viuere gaudet: non solùm quia tum rerum à se præclarè gestarum recordari potest: ac inde in futurorũ quoq́ bonorum spem se erigere: verùm etiam quia mens eius, pulcherrimarum rerum scientia exculta est. Vnde dum solus est, perpetuã & iu-

& iucundissimam habet contemplandi materiam.

Atqui vulgus multò magis erga seipsum amicè affectum esse, magisq; bona sibi exoptare videtur, quàm viri boni?

E vulgo quidem, qui se bonos esse putant, quodammodo erga seipsos amicè affecti, & modò dicta sibi exoptare videntur. Qui autem manifestè improbi, aut etiam scelerati sunt: sibi nec benè volunt, nec benè faciunt, nec etiam se saluos cupiunt.

Bona enim, quæ sibi sectanda vident, per ignauiam prosequi negligunt: mala verò, importunis victi cupiditatibus, sibi arcessunt vltrò.

Nec infrequenter etiam, ex desperatione rerum suarum, sibijpsis violentas manus afferunt.

Animi prætereà illorum, perpetuis agitantur dissidijs. Alia enim volunt, & alia cupiunt.

Ac inde nec sibijpsis compatiuntur. Animus enim ancipiti contentione distractus, propter quod altera parte lætatur, altera dolet.

Deniq;, vt cum alijs conuersari gaudent: ita secum habitare molestum est. Tum enim ipsis occurrunt sua scelera

 ac in-

ac inde imminentes ipsis pœnæ: quorum sensum vt obtundant, subinde quærunt, cum quibus conuersentur, ac tempus pariter, & conscientiam suam fallant.

Cap. V.

Beneuolentia (quam inter enumerata φιλικὰ primum tenere locum puto) amatione est, an potius ipsa amicitia?

Amicitia dici non potest. Suscipitur enim sæpenumerò erga ignotos: & ita quidem, vt illos beneuolentia nostra lateat: cùm amicitia nec latere posit, nec etiam cum ignotis contrahi.

Sed nec amatio aut amor quidam est. Hic enim, vt concipiatur animo, temporis moram postulat, ac vitæ consuetudinem: habetq; coniunctum ardens studium adamato benefaciendi: & simul, appetitum & cupiditatem, eodem fruendi. Beneuolentia verò, vt ex tempore suscipitur, ita quoq; remissus quidam & leuis affectus est: quo nec benefacere cupimus, nec illo frui, erga quem ita affecti sumus.

Num ergo beneuolentia ad amicitiam nil confert?

Imò plurimum. Vim enim & naturam eius rectè consideranti, videtur esse veræ & honestæ amicitiæ principium, & ne-

necessaria quædam præparatio. Etsi enim beneuoli non statim amici sunt: cùm nostri causa sæpe nec labores, nec molestias suscipiant: certum tamen est, amicitiam nobiscum contrahere neminem posse, nisi qui priùs animo conceperit aliquam erga nos beneuolentiam. Itaque, si definire amicitiam velles: videretur nil aliud esse, quàm ociosa quædam amicitia: quæ temporis progressu, in veram transire possit.

Num verò honestæ tantùm amicitiæ principium est?

Si esset etiam vtilis & iucundæ amicitiæ principium, susciperetur certè ob vtilitatem & voluptatem, vel acceptam iam, vel modò accipiendam. Sed ob accepta alicui benè cupere, non beneuolentiæ est, sed iusticiæ potiùs. Ob accipienda verò, qui alicui benè cupit, is sibi potiùs quàm illi, benè vult. Itaque nec vtilis amicitiæ, nec iucundæ est principium: sed honestæ tantùm.

In quibus rebus consistit concordia? Cap. VI.

In reb⁹ quidē contemplandis, hoc est, in disciplinis, propriè non consistit. Siquidē, in ijs cōsentire possunt, cùm ini-

mici, tum etiam planè ignoti: cùm concordia tantùm locum habeat inter notos: & qui inter se amicitiam vel colunt, vel certè colere possunt. Versatur autem in rebus gerendis, & ad vitam tuendam pertinentibus: & ijs quidem, quæ alicuius momenti sunt: & ad omnes eos pertinent, inter quos concordia esse dicitur.

Quos ergo concordes vocas?

Qui circa res gerendas non modò idem sentiunt, verùm etiam idipsum in eodem, hoc est, in eadem vel re, vel persona. Vt cùm ciues non tantùm in magistratum eligendum consentiunt: verùm etiam in personam eius, qui magistratum gerere debeat. Quod enim concordiæ proprium est: ex hoc consensu omnes, quod cupiunt, consequi possunt.

Num inter omnes locum habet concordia?

Inter improbos quidem, locum non habet. Sunt enim illi πλεονέκται: quorum quisque de bonis sibi plus vendicat: sumtus autem, labores & molestias deriuat in alterum. Vbi necesse est, vt inter se dissideant, & litigent. Hinc enim alter alterum obseruat, ac id prohibere conatur, quod ipsemet facere mallet.

Habet autem maximè locum inter viros

viros bonos: tum quia illi nil petunt, nisi quod vtile, ac honestum vtrisque est: tum etiam, quòd in suis quoque consilijs perseuerant: cum qualibus sanè quisque bonus consentire, & concors viuere potest.

Circa beneficentiam miror, cur, qui beneficia contulerunt, ardentius ament, quàm qui accepêre? Cap. VII.

Quanquam id absurdum videtur, ac præter rationem fieri: cur tamen fiat, aliquot causæ reddi possunt.

Primùm enim, qui beneficium accepit: est eius, q. contulit, quasi opus quoddam. Homo autem opus suum ardentiùs semper amat: quàm illum amaret opus, si redamare posset.

Deinde, qui accepit est ei, qui contulit, honestus: hic autem illi vicissim tantùm vtilis. Quod autem honestum est, naturâ amabilius est, & iucundius: quàm quod fructuosum est.

Præterea, præsentia iucundiora semper sunt, quàm quæ præteriêre. Quod autem in benefactore est amabile, commodum nimirum, id breui cessat ac præterit: beneficij interim pulchritudine, quæ in accipiente residet, perpetuò durante.

Adde

Adde iam, quòd benefacientis magis proprium est, amare. Est enim actio quædam: cùm amari passio quædam sit. Quod autem alicui magis proprium est: meritò maius in illo conspicitur.

Deniq; ita comparatum videmus in omnibus: vt, quantò maiore vel labore, vel sumptu, res aliqua constat: tantò charior ea sit. Sed benefactori, maiore sumptu constat: is, cui benè fit: quàm huic vicissim ipse benefactor. Itaq; vel hoc nomine, hic illum cariorem habet.

Cur homo suum opus adeò carum habet?

Quia esse & viuere nobis est adeò exoptabile. Videtur autem quisq; nostrûm esse & viuere per suum opus. Sumus enim & viuimus non facultate seu potentia, sed actu: essendi verò & viuendi potentiam ipsum opus in actum producit.

Cap. VIII. *Amor sui, quem dictorum officiorum fontem esse prædicas nunquid vulgò reprehenditur?*

Quem quidem vulgus amorem sui nominat, meritò reprehenditur. Illum enim reprehendunt etiam sapientes: & quò quisq; est vir melior, eò etiam à tali φιλαυτία est alienior: cùm è contrario improbissimus quisq; maximè isto modo φίλαυτος esse videatur.

Qui

Qui tamen propriè amor sui dicitur, quemadmodum illum docti definiunt: eum magnopere commendandũ puto. Qui enim candidissimus est, ac intimus alicuius amicus: is certè præ cæteris, videtur amandus. Quòd autem quisque nostrûm, sibijpsi sit amicus candidissimus & intimus, manifestum est.

Quibus enim amicitiam definiunt: ea cuncta insunt homini erga seipsum: & ea quidem sibijpsi tribuit, nullius alterius causa: idque faceret, si maximè nemo hominum cogniturus esset.

Cui iam accedunt vsu trita prouerbia, quibus intima amicitia describitur: cùm dicimus: Vnus amicorum animus: Amicorum omnia communia: Genu crure propiùs: & hisce similia, quæ omnia, homini erga seipsum maximè conueniunt.

Quos igitur vulgus sui amantes nominat?

Qui captant honores, pecunias & voluptates corporis: ac in talibus expetendis, modum excedunt: homines certè, qui seipsos reuera non amant: sed eam tantùm sui partem, quæ bruta dicitur. Blandiuntur enim cupiditatibus suis, & improbis affectibus. Quo etiam nomine meritò vituperãtur. Dum enim cupi-

cupiditatibus suis indulgent: nullum tam turpe facinus est, nullum tantum scelus, quo se contaminare non ausint.

Quos autem eruditi, sui amantes vocant?

Qui externis bonis postpositis, sapientiæ, virtuti, iusticiæ, cæterisq; animi bonis student. Sunt enim hæc bona pulcherrima, omniumq; præstantissima: & qui illa quærunt, non suis ancillantur cupiditatibus: sed menti suæ seruiunt, eamq; imprimis excolunt. Quam etiam ob causam, seipsos amare verè ac rectè dicuntur. Siquidem sua quisq; mens est: eaq; sola homini conuenire dicuntur, quæ menti eius competunt.

Miror quòd mentem ipsum hominem esse dicis:

Id non absurdum est. Mens enim est præstantissima pars hominis: cuiuslibet autem compositi præstantissima pars, res ipsa esse dicitur: vt quod senatus egit, ipsam ciuitatem egisse affirmamus.

Et huic astipulantur etiam, quæ suprà dicta sunt. Cùm enim continentia mentis opus sit: nos eam ipsi homini tribuimus, hominem ipsum continentem appellantes.

Tum, quæ mente & consilio gerimus: ea propè sola nos ipsi, & maximè spontè agere

agere dicimur. Ex quo rurſum patet: quod in homine homo dicitur, id mentem eius eſſe.

Seipſum igitur amare, honeſtúmne, an turpe eſt?

Viro quidem bono id honeſtum eſt. Dum enim ſeipſum amat, agit, quæ honeſta & iuſta ſunt: quibus & ſibi prodeſt, & alijs. Improbo, autem, ſi id ſuo more facit turpe eſt & probroſum. Hoc enim ipſo indulget ſuis cupiditatibus: ex quibus improba molitur: ijſq; & ſibi & alijs incommodat.

Num autem fieri poteſt: vt vir bonus, tantus ſui amator, aliorum gratia quicquam ſuſcipiat?

Imò, quò magis ſeipſum amat: eò plura facit tum Reipublicæ, tum amicorum gratiâ: nec ſolùm pecunias, honores, & potentiã, de quibꝰ aliâs contenditur, illis ſua ſponte permittit: verùm, ſi id poſtulet neceſsitas, etiam mori pro ipſis non dubitat. Hoc enim modo conſequitur bonum longè præſtantiſsimũ, ipſam nimirum honeſtatem. Atque id maximè conſequitur, cùm pro amicis aut patria moritur. Multò enim honeſtius eſt, breui temporis ſpacio præclarè vixiſſe: quàm ex arbitrio fortunæ annos

complures: multoq́ pulchrius, & etiam iucundius, vnum egregium edidisse facinus, quàm multa alia nullum adeò pondus habentia.

Cap. IX. *Núm etiam viro beato amicis opus est?*

Beatus, nisi amicos haberet, destitueretur eo bono, quod inter externa est præstantissimum: quodq́ illi molestius esset, priuaretur virtutum suarum exercitio: cùm non essent, erga quos eas exerceret: imò cogeretur vitam viuere planè solitariam. Si enim non vteretur amicis, alienos certè nunquam admitteret.

Qualibus verò amicis illi opus est?

Vtilibus quidem & iucundis adeò opus non est. Bonis enim ad vitam benè beateq́ tuendam (quæ vtilis amicus suppeditare posset) est instructissimus. Vita verò sua ipsi per se iucunda est, propter virtutis studium & honestas actiones.

Interim tamen amicos honestos, quibus cum familiariter conuersetur, desiderat. Requirit enim aliquos, in quibus possit se suasque virtutes, contemplari: optimè autem id potest in honestis amicis: vtpote moribus ac studijs ipsi simillimis.

Præterea, opus est illi honestis actionibus

nibus & virtutum studio: ad id verò honestis amicis est opus: non tantùm vt sint erga quos virtus exerceatur: verùm etiam quorum auxilio id fiat.

Deniq;, si subtiliùs de hoc disputare licet: viro beato amicorum conuictu nil suauius est, nil exoptatius. Quemadmodum enim illi nil est iucundius, quàm sentire se esse & viuere: ita quoq; iucundissimum illi est, amicum suum, qui alter idem est, sentire & videre, quòd viuat & fœlix sit.

Cur beato est adeò iucundum, sentire se esse & viuere?

Quia id sua natura bonum est: ac inde sua natura iucundũ & exoptabile. Quicquid autem sua natura bonum & iucundum est: id etiam viro beato est iucundum & bonum. Dum ergo sentit, se agere & intelligere, adeoq; se esse & viuere: non potest non iucundè affici: præsertim, cùm in hoc ipso se benè viuere, & beatum esse videat.

Nùm beatus per conuictum tantùm sentit, amicum esse & viuere?

Certè, qualis quisq; sit, & quomodo valeat, maximè cernimus in communicatione sermonis & cogitationũ. In solo aũt, & omni quidem conuictu, ista com-

municamus. Hominum enim conuictus, non communi loco pastuq; , veluti brutorum animalium : ſed cogitationum & ſermonis communicatione definitur.

Cap. X.

Pluriúmne amicitia quærenda eſt; an pauci ſufficiunt?

Quod perpulchrè canit Heſiodus : μήτε πολύξεινον, μήτ᾽ ἄξεινον καλέεσθαι. puto non de hoſpitibus tantùm, verùm etiam de quibuslibet amicis intelligendum : idq; tam in vtili & iucunda, quàm in honeſta amicitia.

Cur in amicitiam vtilem non plures recipiendos putas?

Propterea, quòd pluribus vtens amicis ad ſua commoda, multis viciſsim operam dare cogitur. Mutuis enim officijs conſtat amicitia. Multis autem inſeruire ac operam dare, difficile eſt, & fortè ad id facultates non ſufficiunt. Itaq; paucis contentum eſſe præſtat : ac plures, quàm quot pro ſua cuiq; conditione ad vitam tuendam ſufficiunt, recipere non conuenit.

Cur in iucundam non plures adſcribendi ſunt?

Quoniam, vt condimenta, quàm minimo pondere cibis adhibita, eos ſuaues efficiunt : maiore autem copia, nauſeam veſcentibus creant : ita quoque amici,

amici, voluptatis causa conciliati, si pauci sint, vitam iucundam faciunt: plures autem & frequentiores, & amico tædium, & sibi contemptum afferunt.

Cur ob virtutem non plures coli possunt?

Quia talibus amicis oportet vti familiariter: illisque consuetudine victus vitæque coniungi: ac singulos illos summo amore complecti, ijsque in omni fortuna, tam aduersa, quàm prospera ex animo compati, ac demum illos, quorum quis amicitiam colit, inter se quoque amicos esse. Ad veram enim amicitiam, ista requiruntur omnia. Sed iam pluribus familiarem esse, & conuersari, immensi laboris esset: maioris etiam, è multis, singulos amore summo prosequi: & imprimis, in tam dispari illorum fortuna singulis condolere, & vnâ cum illis lætari eodem tempore: vt nil dicam de ipsis amicis, quorum plures inter se nunquã consentiunt. Itaque videmus, in amicitiã sodalium paucos tantùm recipi: eas verò, quæ etiam veterum celebrantur carminibus, inter duos tantùm fuisse.

Inueniuntur autem, qui quorumlibet hominum colunt amicitiam: quales sunt non modò viri boni: verùm etiam ij, quos blandos suprà vocauimus?

Non ignoro, tales familiariter conuersari & colloqui cum omnibus: quorum tamen amicitiam (meo iudicio) nõ, nisi ciuiliter, colunt. Siquidem veram & honestam colimus tantùm cum ijs, quos amamus propter virtutem. Hi verò non tantùm erga viros bonos, verùm etiam erga improbos & ignotos, ita se gerere solent.

Cap. XI. *Secundisné rebus, an aduersis amicis magis opus est?*

In aduersis quidem illis opus est: vt præbeant nobis manus auxiliares: secundis verò, vt conuictores habeamus: & sint in quos nostra beneficia collocemus. Quarè in aduersis amicos habere, magis est necessarium. Rebus secundis autem, illis vti magis honestum. Vtroque verò tempore eorum frui conspectu, & gratum & iucundum est.

Num ergò in vtraque fortuna amicus iucundus est?

Rebus certè secundis, nobis iucundissimus est: non solùm, quòd præsentia eius nos per se oblectat: verùm etiam, quòd videmus illum bonis nostris gaudere. Inde enim cognoscimus, & eum fidum nobis amicum, & nos beatos esse.

Et in

Et in aduersis quidem nō nego, ipsum afferre nonnihil doloris. Testatur enim se dolere nostram vicem : amico autem doloris causam præbuisse, molestū est : attamen præsentia & conspectus eius gratus nobis est : cùm aliâs semper, tum verò maximè in aduersis. Cùm enim ingenium nostrum perspectum habeat, & quibus delectemur & offendamur, probè nôrit : certè, si vel paulùm commodus & vrbanus fuerit : tum aspectu, tum sermone nos consolari poterit, ac dolorem omnem facilè mitigare.

Quomodo igitur amicis in vtraq; fortuna vti decet?

In prospera quidem, & cùm aliquid ex voto successerit, amici cupidè & studiosè vocandi sunt : illisq; successus nostri benignè communicandi. In aduersis autem, timidè & cunctanter arcessendi : nec illorum implorandum auxilium : nisi casus aliquis fuerit, in quo paruo suo vel labore, vel sumptu, aut nobis plurimum profuturi sint, aut etiam à grauissimo periculo nos liberaturi.

Quid autem in istis casibus vicissim amico faciendum est?

Si viderit amicum aduersis iactari casibus ; munus eius erit, vt periclitanti

maturè ac promtè ſuccurrat: & id quidem, antè quàm ab illo rogetur. Eſt enim hoc vtriq; & iucundius futurum, & honeſtius.

Si verò ſecunda fortuna aſpirauerit: & ad eam ille operam ſuam profuturam ſenſerit: nec tum illum accedere grauabitur: quò nimirum ſuccesſibus eius inſeruiat. In beneficijs tamen ab illo accipiendis, & percipiendis commodis, ita ſe geret, ne vel frequentiùs accedendo, commodi ſui cupidior: vel vltrò oblatum repudiando, ruſticus eſſe videatur.

Cap. XII. *Cur verò ab amicis conuictus adeò requiritur?*

Quia, vt amantibus, ita quoq; ipſis amicis, mutuus conſpectus iucundisſimus eſt. Mutuum autem conſpectum conuictus exhibet.

Cumq; omnis amicitia conſiſtat in ſocietate: certum eſt, ſine conuictu ſocietatem propemodum eſſe non poſſe.

Præterea, in conuictu ſentimus id, quod nobis eſt exoptatisſimum: nimirum, amicum noſtrum longè charisſimum, viuere & valere.

Deniq;, in amicorum conuictu tractantur, quibus quiſq; in vita ſua maximè delectatur. Tum enim alij compo-

tant, alij colludunt, alij vnâ exercentur, venantur, philosophantur, & id quisque tractat, quod in vita ipsi quàm maximè iucundum est.

Num etiam vtilis est ista conuersatio?

Improborum quidam conuictus, turpis est, & damnosus. In eo enim à se inuicem non solùm afficiuntur iniurijs: verùm etiam magis magisq; corrumpuntur, ac deteriores fiunt.

Bonorum tamen conuictus, & honestus est, & vtilis. Per eum enim ipsorum amicitia subinde amplificatur mutuis officijs: animiq; magis magisq; coalescunt. Adde, quòd ex eo indies meliores & probiores fiunt: dum alter alterum & corrigit, si peccantem viderit: & exemplo suo ad colendam virtutem meliùs informat.

Liber decimus.

Quid iam mihi discendum superest? Cap. I.

CVm voluptas non solùm humano generi coniunctissima sit: verùm etiam ad virtutem, de qua hactenus disseruimus, plurimum conferat: re-

ſtat iam, vt eius explicationem, libro ſeptimo ſuſpenſam, perſequamur: & breuiter audiamus, tum quid cæteri de ea ſenſerint: tum quid & qualis illa ſit, & quas ſpecies ac differentias habeat.

Quid de illa ſensêre veteres Philoſophi?

Epicurus, Eudoxus, & eorum ſectatores, illam vocauêre ſummum bonum. Alij verò eam, vt malam & fugiendam, vituperauêre. Et horum quidam ita docuêre: quod putârunt, voluptates omnes, reuerâ tales eſſe. Alij verò, licèt quaſdam bonas eſſe non ignorarent: putauêre tamen, cùm vulgus aliâs nimis ſit deditum voluptatibus: ad morum diſciplinam conducibilius fore: ſi perſuadeatur, omnes eas malas & fugiendas eſſe.

Cap. II. *Quibus argumentis Eudoxus in hanc ſententiam adductus eſt?*

Primùm quidem, quia vidit, voluptatem ab omnibus expeti: tam brutis, quàm ratione præditis. Exiſtimauit autem quod ab omnibus expetatur, id iure videri optimum.

Dixit præterea, voluptatem opponi dolori: eſſe autem dolorem, rem per ſe malam & fugiendam: itaque voluptatem, per ſe bonam & expetendam.

Cumq;

Cumq́; summū bonum per se semper expetatur: nec vnquam ob aliud: voluptatē tale bonum esse, communi omniū testimonio. Neminem enim vnquam interrogatum, cur voluptatem expetat.

Deniq́; voluptatem, cuicunq́; bono accesserit, illud optabilius efficere: vt videre liceat in actionibus iustis, temperatis, mansuetis. Hanc autem certissimam summi boni notam esse.

Has autem Eudoxi rationes nunquid Plato refutauit?

Non ignoro, Platonem eas refutare conatum: verùm friuolis admodum argumentis, & quæ facilè refelli possunt. Dixit enim eorum, quæ vim expetendi habent, maximam partē esse brutorum, & hominum imprudentium. Ac inde quod ab omnibus expetitur, suspectum reddere voluit. Cæterùm, quod omnibus videtur, principij vim habet: quod negare nefas est.

Nec bruta solùm & imprudentes, voluptatem sectantur: verùm etiam sapientes, & viri boni.

Vt interim taceam, quòd in vitiosis etiam aliquid boni est, fortè ipsorum captu maius: quod illa ad verum bonum expetendum stimulat.

Iam verò, quòd contra secundam Eudoxi rationem contendit, voluptatem dolori opponi: non quemadmodum bonum malo: sed vt malum malo opponitur, vt audaciæ timiditas: id falsum est. Si enim ambo mala essent: ambo quoque fugerentur: videmus autem dolorem quidem fugi: voluptatem verò ab omnibus exoptari.

Denique, postremum argumentum ineptè retorsit, dicens: summum bonum nullius accessione melius fieri: cùm voluptas isto modo possit euadere exoptatior. Hoc enim si concederetur: nullum omnino summū bonum esset. Nullum enim bonum est, quod alterius accessione, non melius exoptabiliusque fiat.

Cap. III. *Quomodo probârunt Platonici, voluptatem bonum dici non posse?*

Voluptatem negârunt in bonis habendam: quia non sit qualitas: cùm tamē omne bonum, qualitas quædam sit.

Cumque omne bonum definitum sit: voluptatem indefinitam esse: quia magis & minus recipiat.

Voluptatem porrò, rem imperfectam esse: cùm motus sit, & generatio: ipsum verò bonum absolutum quiddam esse, & omnibus numeris perfectum.

Tum,

Tum, voluptates esse turpes & probrosas: quæ autem talia sint, in bonis haberi non posse.

Nùm verò rationes istæ tibi falsæ videntur?

Certè, quàm parùm ad improbandam voluptatem valeant: rem penitiùs inspicienti, facilè planũ fiet. Non enim omne bonum qualitas est: cùm nec virtutum functiones, nec beatitudo, qualitas dici posit.

Nec verum est, quòd voluptatem indefinitam, imperfectam, turpem & probrosam esse putant. Rationes enim, quibus id probare nituntur, nullo labore refutari possunt.

Nùm ergo voluptatem falsò indefinitam vocauerunt?

Putârunt illi quidem, eam indefinitam esse: quia recipiat magis & minus: quod tamen nec verum est, nec si verum esset, hoc inde sequeretur. Certum enim est, puras ac synceras voluptates, nec magis nec minus recipere.

Et, si dixerint, quòd ratione eorum qui ipsas animo concipiunt, intendi remittiq; posint: cogentur nobis concedere, ipsam quoq; virtutem indefinitam esse: cùm & ipsa hoc modo magis minusq;

nusq́; recipiat: & ex ea alij alijs fortiores, iustiores, benigniores, euadant.

Nec verum est, quicquid magis minusq́; recipit, indefinitum dicendum. Nã etiã sanitati id accidit: quæ tamen (cùm ea remissio & intentio intra certos fiat terminos) definita dicitur.

Atqui voluptatem imperfectum quiddam esse, probâsse videntur?

Imperfectam quidem esse putabant: quòd videbatur illis esse motus & generatio. Atqui si motus esset, competeret illi tarditas & celeritas: quæ duo motui propria sunt. Voluptatem verò, licèt alius alio citiùs animo concipere posit: concepta tamẽ frui nec celeriùs potest, nec tardius.

In specie verò, generatio esse non potest. Cuiuscunq; enim rei voluptas, esset generatio: eiusdem corruptio, esset ipse dolor. Sed dolor nihil corrumpit: & per consequens, nec voluptas aliqd generat.

Nec est, quòd dicunt, voluptatem repletionem, & propterea generationem esse. Si enim repletio esset: delectatio certè esset in corpore, in quo repletio fit. Corpus autem non delectatur, sed animus potiùs: dum sentit quod corpori decesserat restitui. Et, si maximè voluptas

ptas ex alimentis cõcepta, repletio esset: non tamen repletiones dici possent, quę ex auditu, visu, & recordatione, percipiuntur: quippe quas nulla penuria præcessisse videatur.

Negare tamen non potes, voluptates turpes & probrosas esse?

Quod turpe ac probrosum est: volupe esse nego. Etsi enim improbis iucundũ videatur: non tamen inde sequitur, id verè iucundum esse: quemadmodum nec verè salubre est, aut dulce, aut amarum, quod ægrotantibus tale videtur.

Præterea, vt nec sanitas, opes & potentia, per se turpia sunt: sed talia modò fiunt, cùm petuntur è rebus turpibus: ita nec voluptates per se inhonestæ videntur: sed probrosæ modò ac inhonestæ fiunt, cùm ex turpibus rebus eas petieris.

Tum voluptates inter se discrepant: vt si maximè quædam turpes sint: aliæ tamẽ nihilominus possint honestæ vocari: vt, quas ex honestis licitisq́ rebus, animo conceperis.

Nùm igitur Eudoxi sententiæ per omnia subscribis?

Non. Putabat enim ille, voluptates omnes

omnes bonas esse: & quidem summum bonũ. In quorũ vtroq; ab illo dissentio.

Si enim omnes voluptates bonæ & expetendæ essent: adulator certè, qui ad conuictoris voluptatem cuncta loquitur, non minùs laudandus esset: quàm candidus amicus, sua ad honestatem reuocans. Præterea, puerorum vita (vt quæ delicijs abundat) imprimis expetenda videretur. Nec etiam fugiendum vllum turpe aut improbum facinus: cùm etiam inde, qui improbus est, voluptatem percipiat.

Porrò autem, si voluptas summum bonum esset: eius certè causa cuncta expeteremus: nec susciperemus quicquam, nisi ad eam consequendam conduceret. Etsi verò voluptatem (vt suprà dixi) nullius rei causa, sed per se expetimus: multa tamen sunt: quæ expeteremus, etsi nullam essent allatura voluptatem: vt videre, reminisci, sapere.

Cap. IIII. *Quæ iam tua est de voluptate sententia?*

Primùm omnium, certum est, voluptatem, nec generationem, nec motum vllum esse. Est enim voluptas quouis tempore perfecta, nec vlla re indiget, qua temporis successu accidente, species eius ampliùs perficiatur. Motus autem

omnis, imperfectum quiddam est: vt qui toto durationis suæ tempore, in finem & perfectionem suam modò contendat.

Cumq; voluptas omnis in momento existat: motus certè in momento esse non potest: sed vt fiat, temporis moram postulat.

Tum, generatio & motus, sunt è numero partibilium, quæ tota non sunt. Voluptas verò non est quiddam partibile: sed totum, quod partem extra partem habere non potest.

Quomodo voluptas oboritur in animo hominum?

Cùm facultas vel sentiens, vel intelligens, munere suo perfectè fungitur. Tum autem fungitur suo munere perfectissimè, cùm circa materiam suam, in suo genere optimam, operatur: ipsa optimè se habens, optimeq; erga eam disposita, vt cum oculis, ac visu nequaquam hebeti, summam ruris amænitatem intueor: E talibus enim functionibus voluptas resultat: haud secus ac è iuuenili ætate efflorescit ipsa pulchritudo. Vt voluptas nil aliud esse videatur, quàm functionum nostrarum subsequens quædam perfectio, ipsam singulari quadam suauitate commendans.

Qui fit, quòd adeo nulla voluptas est perpetua?

Quia nostris functionibus tantùm inest, cùm illæ perfectæ sunt: perfectas autem functiones continenter edere nõ possumus: cùm diu operando tandem defatigemur: ac functionum instrumenta languescant: Itaq;, cessante operis nostri perfectione, ipsam quoq; voluptatem euanescere necesse est.

Cur verò res, dum noua sunt, tantam voluptatem afferunt?

Quia omnis functio, quò perfectior est, eò etiam est iucundior: at circa res nouas, functio est perfectissima: quia tum cogitatio nostra illis summo studio incumbit: pòst autem, quasi exatiata, remissiùs agit, ac negligentiùs. Quare & imperfectior fit ipsa functio, & inde voluptas quoq; obscurior.

Cur adeò vniuersa animalia voluptatem expetunt?

Causa est, quòd adeò vitam suam amant: & proptèrea in ea elaborare, suoq; fungi munere maximè gaudent. Voluptas verò, vtpote functionum nostrarum perfectio, hanc ipsam quoq; perficit. Itaq; mirum non est, eam ab omnibus animalibus, vitæ suæ studiosissimis, adeò exoptari.

Dixeras

Dixeras antea, voluptates ſpecie differre, Id mihi planum fieri cupio?

Quòd ſpecie differant, vel hinc patet: quòd perficiunt ſpecie differentes functiones: vt ſunt intelligere, videre, audire.

Nec ſolùm illas perficiunt: verùm etiam ijſdem coniunctæ & cognatæ ſunt vnde etiam illas adaugere ſolent. Faciunt enim eas accuratiores, magiſq́ aſsiduas ac meliores.

Et ſanè, ſi eiuſdem ſpeciei eſſent: haberent etiam eoſdem effectus: videmus autē, illas effectus edere diuerſiſsimos: ita, vt quam functionē alia perficit, eam alia deſtruat. Suam enim propriam adauget & amplificat: aliam verò impedit, non minus quàm ipſe dolor. Voluptas enim, quæ actioni alicui ineſt, ſi maior eſt, adeò animum occupare ſolet: vt aliud interim ſuſcipere & agere planè nequeamus.

Quot modis igitur voluptates inter ſe differunt?

Tribus potiſsimùm. Primùm, vt actionum noſtrarum aliæ honeſtæ ſunt, aliæ turpes, aliæ intermediæ: ita quoq́ voluptates, quæ illis inhærent. Si enim cupiditates honeſtarum actionum, honeſtæ, turpium verò, turpes ſunt: multò

magis ipsæ voluptates, quæ illis ita coniunctæ sunt, vt quibusdam idem videantur.

Deinde, quemadmodum functiones nostræ aliæ alijs puriores sunt, & synceriores: vt, quæ mentis sunt, puritate sensuum functionibus præstant: & horum quoq; alij, alijs puriores functiones edunt: ita quoq; se habent ipsæ voluptates, quæ eas perficiunt. Atq; hinc mentis voluptates purissimæ sunt: mox, quæ visu percipiuntur: inde, quæ auditu: pòst, quæ olfactu: ac demum, quæ gustu & tactu, quæ omnium impurissimæ reperiuntur.

Denique, differunt etiam ratione animalium, illis fruentium. Habet enim quodlibet animal functionē propriam: ac inde operis sui propriam quoq; perfectionem. Vnde efficitur, vt tot sint voluptatum species, quot animalium: vt alia sit equina voluptas, alia canina, lupina, humana, &c.

Quas humanas voluptates nominas?

Earum quidem est magna varietas ac discrepantia. Quæ enim alios oblectant, alijs sæpe molesta sunt, & quæ alios offendunt, alijs voluptatem afferunt. Vbi tamen spectandum est, quibus rebus dele-

delectetur vir bonus: atque illæ solæ, humanæ voluptates nominandæ sunt. Cuiuslibet enim rei mensura, virtus & vir bonus est.

Nec offendere nos debet: quòd, quæ vulgo iucunda videntur, illi molesta sunt. Accidit enim id non ipsius, sed vulgi vitio, quod pro suo peruerso iudicio perperàm & ineptè de talibus iudicare consueuit.

Num vniuersa, quibus vir bonus delectatur, humanis voluptatibus connumeranda sunt?

Hîc spectare oportet viri boni functiones. Quasdam enim edit, non vt vir bonus, sed vt animal: vt cùm edit, bibit, ambulat: quarum functionem voluptates, impropriè humanæ vocantur.

Alias autem edit, quatenus vir bonus est, & beatus: vt sunt, quæ ad studia sapientiæ, virtutum exercitia, & honestas actiones pertinent. Et harum demum voluptates, propriè humanæ dici possunt.

Vt tandem ad disputationem, libro primo suspensam, redeamus: dic, in quo rerum genere fœlicitatem colloces? Cap. VI.

Quemadmodum libro primo dixi, videtur ea collocanda non in habitu, sed

potiùs in habitus functione: & ea quidem, quæ non ob aliud, sed per se expetitur: hoc est, ex qua, præter ipsam functionem, nil requiritur. Est enim beatitudo bonum perfectum, ac seipso contentum: nec vllo alio bono, quod ipsa melius sit, ad sui perfectionem indiget.

Operationes igitur seu functiones, per se exoptabiles, quotuplices sunt?

Quædam graues sunt, ac seriæ: vt actiones virtuti consentaneæ. Quædam verò ad iocos pertinent, ac ludos voluptatis causa institutos. Nam & hos per se exoptari, vel hinc patet: quòd non modò nullum ex illis fructum requirimus: verùm etiam propter eas rerum nostrarũ sæpe iacturam facimus.

Dic ergo, in ludóne, an serijs actionibus est posita hominis fœlicitas?

Vulgus quidem, dum videt potentes ac opulentos, ludis salibusq; deditos, fœlicitatem in illis positam esse putat: parùm cogitans, tales nec verè beatos esse, nec veras syncerasq; voluptates vnquam degustâsse.

Quòd autem in rebus serijs, potiùs, q̃ in ludo sit posita: primùm manifestum euadit testimonio eius, cuius solius iudicio acquiescendũ antea dixi, viri boni.

Hic

Hic enim honestas actiones, ludis & salibus longè præfert.

Præterea, fœlicitas est rerum humanarum vltimus finis, cuius gratia vniuersa gerimus: totam verò vitam in negocijs conterere, laboresq; subire tantùm, vt aliquando ludere ac iocari possis: planè stultum ac pucrile videtur.

Adde nunc, quòd, beatitudo dicitur bonum optimum: quo nil sit melius: ludis autem & salibus res serias, id est, honestas actiones meliores esse, videtur extra controuersiam.

Dixi porrò in superioribus, ac etiam probaui, vitam beatam in virtutis studio collocandam esse. Ea autem res seria & grauis est, atq; à ludo aliena.

Quin & hoc patet: quò quisq; vir melior est, atq; præstantior: eò quoq; ipsum feliciorem ac beatiorem esse. Optimus quisq; verò, functiones habet grauissimas: & à ludis maximè diuersas.

Tum, ludo & iocis perfrui possunt etiam mancipia, & infimæ fecis homines: quos tamen fœlices ac beatos nemo appellauerit.

Cùm ergo consistat in functione seria, & virtuti consentanea: dic quænam ista functio sit, & quomodo virtus illa vocetur? Cap. VII.

Virtus hæc, non moralis quædam est: sed inter intellectus (vtpote diuinissimę nostræ partis) virtutes summa & præstantissima: quæ Græcis σοφία, Latinis sapientia: functio verò eius contemplatio dicitur. Cùm enim suprema & perfecta beatitudo, præstantissima functione definienda videatur: hæc inter humanas functiones præstantissima meritò habetur. Proficiscitur enim à diuinissima nostra parte, mente scilicet: & circa nobilissimam materiam, res nimirum diuinas, munus suum obit.

Cumq; fœlicitas definienda videatur functione, quæ maximè sit assidua: certè nulla alia est: quam diutiùs, magisque assiduè, obire possumus: vt, quam minimè omnium defatigamur.

Præterea, in superioribus planum feci, fœlicitati voluptatem perpetuò coniunctam esse: nulla autem functio est, quæ maiores præstet voluptates, vel puritate, vel stabilitate: quib' etiam omnes virtutum ciuilium voluptates facilè obscurat.

Dixi quoque ab initio, fœlicitatem esse bonum seipso contentum, nihilq; extra se desiderans: contemplatio verò, in hoc cunctis alijs præstat functionibus:

bus: vt, ad quam sine vllo adiutore, ac planè sine vllis externis bonis, possimus incumbere.

Iam verò, cùm fœlicitas sit bonum per se exoptabile, quemadmodum antea diximus: hæc sola functio talis est: vt pote per quam nullum aliud bonum quærimus, præter solam & nudam contemplationem.

Deniq;, ab occupationibus & laboribus, quibus ciuiles functiones subiectæ sunt, planè libera est & immunis: ac omnino in honestissimo pulcherrimoq; ocio posita. Quod & ipsum, supremæ illius ac perfectæ fœlicitatis nota est.

Quam ergo vitam, verè ac perfectè beatam nominas?

Ex hactenus dictis patet, eam quæ diuinis contemplationibus transigitur, si perfectam temporis longitudinem nacta fuerit, verè ac perfectè beatam dicendam. Atq; eum, qui hanc vitam viuit, propè diuinam vitam viuere. Siquidem ea sui parte viuit, quæ in ipso diuinissima est: qua etiam, non nisi diuinis rebus, assidua meditatione incumbit.

Deberemus autem, mortales cùm simus, mortalia sapere: nec in minima illa nostri particula excolenda, tantoperè elaborare?

Imò, danda est opera: vt, quantum possumus, nos à mortalitate vindicemus: ac ea nostri parte viuamus, quæ in nobis est optima: qualis certè mens est. Etsi enim mole sua parua sit: vi tamen & excellentia sua, cunctis alijs facultatibus præstat: & , vt superiùs dixi, ea pars est quæ in nobis ipse homo dicitur. Itaq; functio eius maximè propria homini: ideoq; optima & iucundissima, omnibusq; modis expetenda videtur.

Cap. VIII. *Num verò in ciuilium virtutum, hactenus explicatarum, studio, fœlicitatem collocandam esse negas?*

Est & in hoc fœlicitas quædam posita: eaq; nobis omnino exoptanda: quæ tamen, si cum modò dicta comparetur, tantò inferior est, quantò inferiora sunt humana diuinis. Definitur enim humanis tantùm functionibus: quæ circa hominum commercia, humanasq; necessitates, occupantur: ac proficiscuntur ex humano corpore, & cum affectibus coniunctæ sunt.

Cumq; ea, quæ in contemplando est posita, seipsa contenta sit: nec aliud requirat, q̃ quod ad frugalem conuictum satis est: hæc insuper opibus indiget, ac potentia ciuili, cæterorumq; bonorum afflu-

affluentia: vt, ſine quibus liberalitas, iuſticia & fortitudo exerceri nequeant.

Eſt præterea contemplantium fœlicitas beatarum mentium, ſiue (vt Ariſtoteles loquitur) Deorum vitæ multò affinior, ac propterea longè beatior. Cùm enim illos, vel agendo vel efficiendo aliquid, vel contemplando, viuere oporteat (niſi velimus illis Endymionis ſomnum tribuere) manifeſtum eſt eos, nec agere, nec per conſequens, efficere aliquid: ac ꝓpterea contemplando viuere.

Tum, videmus, beatitudinem latiùs non patêre, quàm quouſq; ſe extendit ipſa contemplatio. Hinc enim Dijs ſiue angelis, qui perpetuò contemplantur, omnis vita beatiſsima eſt, hominibus verò tantùm, quatenus Dijs contemplando aſsimilantur: Brutis autem, cùm omni contemplationis munere deſtituantur, omnis beatitudo derogatur.

Quare putas, Deos ſeu beatas animas nil agere?

Quia, ſi quid agerent, viderētur acturi ſecundum virtutem aliquam moralem: vt, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam. Sed hæ multò inferiores ſunt, & indignæ quas Dijs tribuas. Verſatur enim iuſticia circa contractus, fortitudo circa mortis terrores, temperantia

circa

circa moderandas cupiditates, & cæteræ deniq; circa alia hisce affinia. Dij verò nec contrahunt, nec nubunt, nec mortẽ horrent, nec cupiditates habent, moderationem desiderantes, nec aliud quicquam, quo morum virtutes occupantur, ipsi tractare solent.

Nùm verò contemplator, externis bonis non indiget?

Indiget quidem illis: siquidem non simplex & pura mens est, sed in corpore viuit: & propterea illi victu cultuq; corporis opus est. Attamen ideo nec multa, nec magna desiderat: cùm etiam mediocribus fortunis posfit, & vitam suam sustentare, & liberum rectumq; de rebus seruare iudicium: & res honestas præclarasq; agere. Id quod non solùm Anaxagoras, Solon & alij testantur Philosophi: sed ipsa quoq; experientia: cùm videamus, priuatos quosdam, tenuisq; fortunæ homines, non minùs, quàm potentes ac opulentos, virtutem, iusticiam & æquitatem colere.

Nùm contemplando nullum aliud bonum consequitur?

Imò. Conciliat enim sibi diuini Numinis clementiam: qua non potest non esse beatisfimus. Contemplando enim men-

mentem suã excolit: quam Deus, vt rem optimam sibiq́ꝫ similimã, summè amat. Itaqꝫ intermittere non potest, quin ipsi quoqꝫ faueat, eũq́ꝫ remuneretur: ac eius, vt sibi amicissimi hominis, curam gerat.

Num ergò doctrina hæc ad viros bonos efficiendos sufficit? Cap. IX.

Si per se sola id posset, digna profectò esset amplissimis præmijs: vt quæ nobis id conciliaret, quod in rebus humanis summum est, & optimum. Etsi verò ad virtutis studium, ingenuis iuuenibus multum confert: (vitiorum namqꝫ turpitudine ostensa, illis pudorem incutit:) improbis tamen & seruilibus ingenijs, vt vitijs, & improbitate suæ renuncient, nulla oratione, ac nullis omnino verbis, ꝑsuaderi posse, experiẽtiâ manifestũ est.

Quibus ergò rebus videntur viri boni fieri?

Alij quidẽ arbitrantur, id naturæ tribuendum: alij, doctrinæ & institutioni meliori: alij verò, cõsuetudini, seu assuefactioni. Qua .n. ratione virtus comparetur, inter Philosophos cõtrouertitur.

Et naturam quidem aliquid ad eam conferre, non eo inficias. Ad eam enim accipiendam, hominem disponit: & si maximè non habitum, attamen habilitatem confert: sine qua habitus acquiri nequit.

nequit. Cæterùm, εὐφυΐα hæc, seu naturæ bonitas, in nostra potestate non est posita: sed Dei donum est: de quo disserere ad Theologiam pertinet.

Quod autem ad doctrinam attinet: arbitror, quemadmodum terram, antequam semen illi mandes, subigi priùs & arari oportet: ita animum eius, qui in moribus instituendus est, honesta educatione præcolendum: vt honestis rebus gaudeat, turpibus offendatur, & prauis animi perturbationib9 fræna non laxet. Aliter .n. nec bonos mores docentē intelliget, nec illi obtēperare dignabitur.

Educatio hæc seu disciplina, quomodo instituenda est?

Cùm innatas cupiditates reprimere, ac temperantiam & patientiam colere permolestum sit: nec id spontè quisquā facturus videatur, nisi vi cogas: disciplina hæc describenda erit, & confirmanda legibus: ac talibus quidem, quibus non modò iuuenes, honestis officijs assuefiant: verùm etiam adulti, in ijs exerceantur & confirmentur. Magna enim pars hominum, non tam rationi & honestati paret: quàm pœnis & necessitati. Quarè etiam legislatores, vt bonos ad virtutē cohortantur mentione honestatis & præ-

præmiorum: ita pœnas constituunt improbis: ac insanabiles etiam è Repub. eijciunt.

Vnde autem istæ leges petendæ sunt?

In quibusdam Rebuspub. leges sunt, quibus non modò adulti continentur in officio, verùm etiam pueri à teneris virtuti assuescunt. In quibus autem leges istæ non sunt: industrij patrisfamiliâs munus est, vt suis ipse leges ferat. Nec metuat, cùm non publicam personam sustineat: ne non vim & pondus habituræ sint. Quod enim in Republica leges valent: id in domo possunt exhortationes paternæ. Quin imò, propter sanguinis communionem, & beneficia, quibus liberos & familiam sibi deuinxit pater, plus illæ sunt authoritatis habituræ, quàm leges Principis. Cumque priuatim, pro suo cuique ingenio, leges ferre possit, & quemque pro captu suo informare: plus etiam emolumenti ad virtutem, & bonos mores, afferre poterunt.

Vnde verò & quomodo leges huiusmodi ferre discam?

Si tuæ tantùm domui, aut Reipub. tuæ leges ferre cupis: experientia fortè tibi sufficiet. Si autem euadere voles, legum ferendarum artifex: vt quamlibet

Rem-

Rempublicā administrare posſis: opus erit, vt nôris ipſum καθόλȣ: & habeas legum ferendarum ſcientiā, & certa quædam præcepta: quibus instructus, vtiles & commodas ſingulis ſocietatibus leges ferre posſis.

A quibus hanc legum ferendarum ſcientiam conſequar?

Cæteras quidem artes ac diſciplinas, docent ij, qui eas exercent. Qui verò Rempub. adminiſtrant, ac ciuibus ſuis leges dare ſolent: eā ignorare videntur: cùm de ea nec verba faciant, nec libros edant, nec etiam liberis ſuis eam tradāt. Sophiſtæ autem, qui ante Ariſtotelem eam profeſsi ſunt, videntur eius eſſe rudes: cùm nec, qualis ſit, nec circa quid verſetur, ſatis perſpectum habeant. Cùm itaq; nec ab his, nec ab illis, diſci poſſe videatur: legenda tibi puto Ariſtotelis Politica. In ijs enim deprehendes, non ſolùm, quæ veteres de illa ſcripsêre: verùm etiam, quæ ſingulis Rerumpub: formis & proſint & incommodent. Quæ item Reipub. forma, præſtantiſsima: & quib⁹ vnamquamq; legibus, ad honeſtatem morum, pacemq; & ocium ciuium conſeruandū, adminiſtrare oporteat.

τέλος μόνῳ τῷ θεῷ δόξα.